

DIEGO RUIZ DE MONTOYA

**Commentarii in materiam de peccatis  
(1<sup>a</sup> 2<sup>ae</sup>, q.72)**

Edición y notas  
Eduardo Moore, S.I.  
José I. Terry, S.I.

**Quaestio 72  
De distinctione peccatorum**

**Articulus primus  
Utrum peccata differant specie secundum obiecta**

Circa distinctionem peccatorum, in verbis Doctores dissident, sed in re parum aut nihil.

D. Thomas hic et a.8 et 9 docet peccata distingui specie penes motiva aut fines; et similiter supra, q. 19, a.1 et 2, dixit speciem bonitatis et malitiae moralis sumi ab obiecto<sup>1</sup>.

Alii Doctores communiter dicunt peccata distingui specie secundum diversas honestates aut rectitudines quibus privant. Ita D. Bonaventura ex professo, 2, d.42, a.3, q.1<sup>2</sup>; Scotus, 2, d.37, prope initium<sup>3</sup> respondens ad quaestionem quam proposuerat in

<sup>1</sup> THOMAS AQUINAS, *Summa Theologiae*, 1<sup>o</sup>2<sup>ae</sup>, q.19, a.1 y 2: ed. Leonina, 6 141ss.

<sup>2</sup> S. BONAVENTURA, *Commentaria in 4 libros Sententiarum*, 2, d.42, a.3, q.1: Quaracchi, t.2 (1885), p.971.

<sup>3</sup> JOANNES DUNS SCOTUS, *Quaestiones in librum secundum Sententiarum*, 2, d.37, q.1: ed Vivès, 13, 353.

d.35; Gabriel, 2, d.35, q. unica, a.3, dub.2<sup>4</sup>; Dionysius Cartusianus, 4, d.16, post q.2, § *Rursus hic quaeritur*<sup>5</sup>, et Ricardus, 4, d.16, a.2<sup>6</sup>.

Sed D. Thomas, 2.2., q.110, a.5 ad 1 ait peccata quantum ad intentionem peccantis specie distingui penes formale obiectum ad quod convertitur peccans; verumtamen peccata, considerata in ratione mali, distingui penes bona a quibus recedunt, quae sunt formalia obiecta peccatorum sub ratione qua mala sunt<sup>7</sup>.

Idem fere sentit Ricardus, 2, d.42, a.4, q.1, dicens actum malum peccati specie distingui penes obiecta seu fines, verumtamen formalem rationem peccati quae est privatio, distingui specie penes virtutes quibus privat<sup>8</sup>.

Alii dicunt ipsas privationes peccatorum specie distingui penes actus positivos a quibus nascuntur. Quod tribuunt D.Thomae, infra, 86, a.1 ad 3; sed ibi non agit de privatione quae est malitia actualis, sed de reatu peccati<sup>9</sup>.

Alii denique dicunt peccata distingui penes praecepta quibus opponuntur.

Hae omnes sententiae, si bene intelligantur, non solum verae sunt, sed se invicem inferunt ita ut qui unam concesserit, non debeat aliam negare, quod magna ex parte indicavit D. Thomas, hoc articulo ad 2, dicens in idem redire quod peccata distinguuntur per motiva aut per obiecta vel distinguuntur per virtutes quibus privant, quia illae virtutes distinguuntur specie per obiecta honesta quae [f.148] amant; et vitia distinguuntur per eadem obiecta honesta quae parvipendunt.

<sup>4</sup> GABRIEL BIEL, *Collectorium circa quatuor libros Sententiarum*, 1.2, d.35, q.un, a.3, dub.2: ed. Tubinga, 1984, p.618s.

<sup>5</sup> DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum IIII commentarius*, dist.2, q.16, § *Rursus...* Venecia 1584, p.222a.

<sup>6</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 4, d.16, a.2, q.1: Brixiae 1591, t.4, pp.230s.

<sup>7</sup> THOMAS AQ. *Summa Theologiae*, 2.2., q.10, a.5 ad 1: ed. leon. 8, 84.

<sup>8</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.42, a.4, q.1: Brixiae 1591, t.2, p.515s.

<sup>9</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.86, a.1 ad 3: ed. leon. 7, 118.

Recole igitur illam concatenationem respectuum quam explicui q.75, a.6, dub. ultimo<sup>10</sup>. Nam peccatum eo ipso quod respiciat obiectum respicit etiam legem et virtutem oppositam. Praeterea in actu malo reperitur non solum positiva monstruositas, sed etiam privatio debitae rectitudinis in qua consistit formalis ratio peccati.

**1º CONCLUSIO:** *positivae monstruositatis species sumitur ab obiecto.* Haec conclusio satis constat ex dictis supra, q.19, a.1 et 2<sup>11</sup>. Et nunc breviter PROBATUR, quia totum esse huius positivae monstruositatis consistit in amore et adhaesione ad obiectum turpe, ut probatum est q.71, a.6, dub.3<sup>12</sup>; ergo ab illo obiecto turpi distinguitur, nam a quo res accipit esse, accipit constitutivum et distinctivum. CONFIRMATUR, quia quoad monstruositatem positivam non est maior ratio in actu malo quam in bono aut in quovis actu intellectus aut alterius potentiae, et hi omnes distinguuntur ab obiecto; ergo etiam actus malus quoad positivam monstruositatem distinguitur ab obiecto.

Quod si PETAS utrum actus mali distinguantur per obiecta materialia vel formalia, RESPONDEO distinguendo inter speciem physicam quae sumitur in actu peccati eisdem legibus quibus sumitur in quocumque actu intellectus vel alterius potentiae; et speciem pure moralem quae sumitur solummodo ex varia dissonantia ad rationem. De quibus speciebus dixi plura in quaestione 18, a.5, dub.1<sup>13</sup>. Hoc supposito breviter praestringo plura quae ex alibi dictis constant.

**1º Species physica peccati sumitur ex obiecto formali seu ex fine aut motivo quod idem est.**

**2º** Eadem species physica variatur occasione obiecti materialis quando non potest amari tale obiectum materiale propter talem finem, nisi amando finem indebita appretiatione, ut si quis velit

<sup>10</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q 71, a.6, dub. ultimo: ArchTeolGran 2 (1939) 288–292.

<sup>11</sup> IDEM, *Ibid*, dub.1, sec.2: ArchTeolGran 2, 1939, 242–248.

<sup>12</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q.71, a.6, dubitatio 1, sectio 2: ArchTeolGran 2 (1939) 242–248.

<sup>13</sup> No conservamos este comentario.

furari ut det eleemosynam et alter velit furari propter gulam; et utrumque dictum constat ex quaestione 19, a.1, et ex disputatione de differentia peccati mortalis et venialis, dub.15<sup>14</sup>.

3º Species pura moralis monstruositatis positivae sumitur ex obiecto materiali et qualibet circumstantia dicente diversam oppositionem cum ratione recta et cum virtute, et propterea haec species pura moralis appellatur a D. Thoma species diversa secundum materiam et secundum circumstantiam habentem peculiarem ordinem ad rationem, ut late [f.148v] explicat in q.2 *De malo* a.6<sup>15</sup>.

4º Ex iis sequitur non solum obiectum in quantum bonum, sed etiam obiecti malitiam variare speciem physicam et constituere etiam variam speciem moralem, quia etiam malitia est obiectum materiale volitum in actu peccati, ut probatum est q.71, a.6, dub.1<sup>16</sup>.

5º DICES: Quid si obiectum sit indifferens? RESPONDEO: si est obiectum materiale non variat speciem; si autem est finis ultimus tunc constituit speciem physicam monstruosam eo quod actio humana amet bonum indifferens ut finem ultimum quod est proprium boni honesti ad quod debent reliqua omnia obiecta ordinari, ut supra, q.18, a.8.

6º Si petas, utrum finis operis vel finis operantis tribuat speciem physicam, RESPONDEO: quicumque finis amatur formaliter et in se ipso ut finis per aliquam volitionem, tribuit illi speciem physicam, quamvis opus externum non ordinetur ex se ad illum finem, v.gr. furatur quis propter adulterium: si volitio interna eiusmodi est ut potest esse quae terminaretur ad furtum ut ad obiectum materiale, et ad adulterium ut ad finem, talis volitio speciem physicam accipit a fine, scilicet adulterio; si vero non adulterium ipsum, sed quidam ordo furti ad adulterium sit finis et

<sup>14</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q.88, a.1 y 2, dub.15: ArchTeolGran 54, 1991, 307–316.

<sup>15</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.6: ed. leon. 23, 46ss.

<sup>16</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q.71, a.6, dubitatio 1: ArchTeolGran 2 (1939) 236–260.

motivum huius volitionis ab illo ordine accipiet speciem physicam, quae intellige secundum dicta in q.18, a.4.

7º Si finis operantis intentus sit per diversam volitionem, ut si per unam volitionem vis furto uti ad consequendum adulterium, et per aliam volitionem vis solummodo utilitatem furti, tunc haec secunda volitio nullam speciem intrinsecam adulterii accipit ab illo fine operantis. Et de specie physica constat, quia in hac volitione adulterium non est finis et motivum; et de specie morali proveniente ab intrinseca entitate actus idem probatur, quia adulterium nullo modo volitum est in hac volitione, ut suppono. Quare haec volitio tantum accipit speciem adulterii denominatione extrinseca, quasi actus externus adulterii, quia per aliam volitionem ordinatur ad adulterium.

Sequentes conclusiones loquuntur de specie qua distinguuntur privationes peccati sive de specie pure morali quae reperitur in positiva monstruositate.

Sit ergo 2º CONCLUSIO: *Diversitas specifica magis propria et magis formalis peccato provenit ex diversitate honestatis qua privat actum.* Ita D. Bonaventura, Scotus, Gabriel, Ricardus et Cartusianus in principio citati. PROBATUR efficaciter, quia peccati ratio formalis consistit in privatione honestatis quae debetur actui, supra q.71, a.6, dub.1<sup>17</sup>; [f.149] sed privationes distinguuntur specie penes formas quibus privant. Huius ratio est, quia nihil aliud est privatio quam parentia formae in subiecto quod deberet illam habere, et non intelligitur parentia diversae rationis nisi intelligatur forma diversae rationis.

Contra hanc conclusionem obicit Cajetanus et Thomistae, 1º quia quod nihil est non potest dare speciem actui peccati, quia actus aliquid est. RESPONDEO: potest dare speciem non secundum esse reale actus, sed quoad esse peccati in quo esse nihil est, sicut privatio visus tribuit speciem oculis in quantum caeci sunt ut hac specie distinguantur ab auribus in quantum surdae sunt.

---

<sup>17</sup> Véase nota anterior.

2º ARGUITUR ratione D. Thomae in hoc articulo, quae contendit hanc conclusionem esse contra mentem D. Thomae et veritatem; nam species uniuscuiusque rei non sumitur secundum illud quod est per accidens, sed secundum illud quod est per se; sed ad intentionem peccantis per accidens se habet privatio honestatis, quia illam non intendit, et per se convenit illi versari circa tale obiectum; ergo ab obiecto, non a privatione sumitur species peccati. RESPONDEO 1º: quod attinet ad mentem D.Thomae constat illum non negare distingui peccata penes virtutes quibus privant, quod aperte concedit ad 2, ut notavit paulo ante conclusionem primam. Sed DICES: saltem D.Thomas ait speciem peccati sumi ex obiecto magis quam ex privatione. RESPONDEO recte dictum esse, quia species sonat perfectionem, constitutionem et esse, quae omnia reperiuntur vere et proprie in physica et reali specie actus mali, quae sumitur ab obiecto, ut dictum est in conclusione prima; at vero in privatione non reperitur proprie species. Caeterum, haec species sumpta a privatione honestatis quamvis impropriissime sit species, est tamen species propriissima et formalissima peccato propter rationem superius dictam. Et hanc esse mentem D.Thomae constat aperte 2.2., q.10, a.5 ad 1<sup>18</sup>. Et forte etiam intendit D.Thomas quod dicetur in conclusione 3. Ad rationem autem RESPONDEO: quantum ad entitatem physicam et realem actus magis per se esse intentionem obiecti; sed quantum ad rationem formallem peccati nihil esse adeo per se ut est privatio; et privationem non esse primario intentam a peccante nihil refert ut constituatur per illam peccatum, ut dictum est in q.71, [a.6], dub.1, sect.3<sup>19</sup>.

3º ARGUITUR, quia aliquando peccata differunt specie in ratione peccati et tamen privant eadem honestate virtutis. Nam homicidium, furtum et detractio specie differunt et tamen privant eadem honestate iustitiae; praeterea, prodigalitas et avaritia specie differunt in ratione mali et tamen privant honestate liberalitatis; ergo peccata non distinguuntur penes formas quibus privant.

<sup>18</sup> Véase nota 7.

<sup>19</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, q.71, a.6, sec.3: ArchTeolGran 2, 1939, 240–256.

RESPONDEO esse diversas rationes honestatis in virtute iustitiae circa vitam, res familiares et famam propter diversos modos iuris ad illa; nam circa vitam non habemus simpliciter dominium, sed quasi administratione; [f.149v] circa res familiares habemus plenum dominium independens a virtute et ab aliorum hominum aestimatione; circa famam vero ius nascitur ex virtute et pendet ab aliorum aestimatione. Unde fit ut vita, res familiaris et fama diversimode debeantur homini, et propterea diversa ratio iustitiae versetur circa illa. Et quamvis istae honestates iustitiae non essent totaliter et complete distinctae specie, sed incomplete, id sufficeret ut vitia opposita distinguerentur specie completa, ut de prodigalitate et avaritia dicam.

Insuper, prodigalitas et avaritia privant diversis honestatibus partialibus liberalitatis; nam liberalitas sub una ratione totali complectitur honestatem largiendi pecuniam cum oportet, contemnendo eius abundantiam, et praeterea honestatem retinendi pecuniam cum oportet ad usos necessarios vitae et familiae. Et prima parte honestatis solum privat avaritia, secunda vero parte privat prodigalitas. Dicemus praeterea de horum peccatorum distinctione, infra, a.8.

DICES: Hinc sequeretur prodigalitatem et avaritiam esse partes unius peccati, et singula non esse integra peccata, quia non privant nisi partialibus honestatibus. RESPONDEO negando consequentiam, nam privationes illae ita se habent ut neutra pendeat ab alia nec ordinetur essentialiter et ex suo genere ad aliam vel ad aliquod unum ex illis resultans, et propterea singulae habent rationem entis completi in esse privationis; at vero honestates illae in esse virtutis non sunt ab invicem separabiles, nam nisi actuali affectu et decreto circa usum pecuniae et aliarum rerum medium rationis teneat neutrum extremum declinando non erit honestus usus pecuniae, si autem medium teneas eris liberalis; at vero huius discriminis ratio a priori est, quia honestum cum sit bonum requirit plura ad sui complementum, sed peccatum cum sit malum potest habere absolute rationem peccati si deficiat quaelibet pars bonitatis.

URGEBIS: si honestates illae non sunt ab invicem separabiles nec privationes poterunt separari, quia sublata una honestate auferetur alia et propterca dabitur utriusque honestatis privatio. RESPONDEO: Sublata una honestate ex iis quae diximus esse partes liberalitatis, non manet alia in ratione honestatis simpliciter; manet tamen in ratione honestatis secundum quid. Et hoc modo potest esse sine alia. Similiter responderi potest plerisque similibus exemplis in quibus instrui potest hoc argumentum tertium. [f.150]

4<sup>o</sup> ARGUITUR, quia potest idem species actus habere privationes plurium honestatum, sicut homicidium in ecclesia privatur honestate iustitiae et religionis; ergo distinctio speciei moralis sumitur ex privatione honestatum. RESPONDEO: licet ille actus interior sit unius speciei physicae tamen in ratione peccati habet duplcam speciem, aliam physicam, aliam pure moralem: et hoc potius confirmat nostram conclusionem.

5<sup>o</sup> ARGUITUR, quia in quolibet peccato mortali contrario alicui virtuti acquisitae esset etiam alia ratio peccati propter privationem virtutis infusae, ut in furto esset duplex species peccati, altera privatio debitae iustitiae naturalis, altera vero privatio debitae iustitiae infusae, quae virtutes specie differunt. Medina, infra, a.6, § *Sed ex hoc oritur*<sup>20</sup>, concedit convenientiam, sed immerito, tum quia furtum licet vere excludat iustitiam infusam ab actu, nihilominus proprie non habet privationem illius, quia actus non debebat habere rationem iustitiae infusae, quia satisfaceret praecepto iustitiae si solum haberet iustitiam ordinis naturalis. Nam praecepta huiusmodi virtutum primario, directe et immediate sunt virtutum naturalium, quamvis eisdem praeceptis satisfaciamus si reddamus virtutes supernaturales, quia continent honestatem altiori modo supplementem vices honestatis naturalis. Insuper, carentia virtutis infusae necessario resultat ex privatione virtutis acquisitae cui correspondet ut illi subordinata; et propterea non efficit diversam speciem privationis, sed quasi complet et perficit eandem speciem.

---

<sup>20</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae Angelici Doctoris D. Thomae Aquinatis*, q.72, a.6: Venecia 1602, p.374b.

**3<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Huius privationis in qua consistit ratio peccati differentia specifica provenit tanquam a radice ex positiva monstruositate actus mali, et eadem ratione ex obiecto actus mali.* PROBATUR, quia privatio illa debitae honestatis provenit ut passio a monstruositate positiva actus, ut dictum est in q.71, a.6, dub.1<sup>21</sup>; ergo etiam differentia specifica huius privationis nascitur ex diversitate radicis. Haec autem diversitas radicis provenit ex obiecto illius. CONFIRMATUR, quia adaequata causa illius privationis est actus monstruosus, et non est alia causa extrinseca a qua diversificetur; etenim quodcumque supervenerit actui nisi volitum sit per actum non imputabitur, ac proinde non pertinebit ad privationem quae sit ratio peccati.

Explicatur haec ratio in decreto furandi in quo propterea est privatio iustitiae distincta a privatione temperantiae quae est in fornicatione, quia decretum furandi complectitur pecuniam cognitam ut alienam, et propterea simul etiam devorat malitiam coniunctam [f.150v] cum obiecto; at vero decretum fornicandi aliam diversam malitiam devorat. Idem dicere possumus in omnibus aliis peccatis.

PROBATUR 2<sup>a</sup>, ex Aristotele, 5<sup>a</sup> Metaphysicorum, textu 27<sup>22</sup>, privatio non solum dicit negationem formae in subiecto, sed etiam connotat debitam esse formam illi subiecto; sed ubicumque est diversa monstruositas ideo est quia diversa est obligatio quam violat; ergo inde etiam nascetur diversa privatio in ordine ad diversam obligationem.

Sed OBICES: contingere potest positivam monstruositatem peccati esse unius speciei, et tamen esse duas species privationis et peccati; ergo ex diversitate monstruositatis non procedit diversitas privationis. Antecedens constat in eo qui occidere vult in ecclesia cuius volitio est tantum unius speciei positivae et tamen habet duas privationes diversae speciei, scilicet iustitiae et religionis. RESPONDEO: monstruositas positiva illius volitionis est

<sup>21</sup> Véase nota 16.

<sup>22</sup> ARISTOTELES, *Metaphysicorum libri tredecim*, libr.9, cap.7: Basilea, 1563, 3, col.1110.

essentialiter virtutem et furtum esse essentialiter malum quam praecipi aliquid a Deo.

Sed URGEBIS: Praecepta naturalia in Dco non habent ullam distinctionem, nisi denominatione extrinseca a distinctione rerum quae praeciuntur aut prohibentur, sicut ideae non habent distinctionem nisi denominationem extrinsecam a rebus creabilibus; ergo prius est distinctio in peccatis quam in praeceptis. RESPONDEO in peccatis esse prius distinctionem formaliter et expresse quam sit formaliter distinctio in praeceptis Dei, ut argumentum probat. Nihilominus prius est haec distinctio in praeceptis quadam eminentia, sicut obiectum est in cognitione et effectus in causa; nam sicut idea est exemplar et causa essentiae ita est exemplar et causa distinctionis. Et eodem modo praecipitum, sicut est exemplar et causa virtutis, ita etiam est causa distinguendi virtutem, et consequenter distinguendi vitia quatenus vult et ordinat unum esse diversum ab alio.

DICES: sunt aliqua peccata quae sola lege positiva prohibentur; ergo illa non distinguuntur penes legem naturalem. RESPONDEO: res quae sublata lege positiva nulla lege naturali prohibentur, eadem, supposita lege positiva, prohibentur lege naturali dictante obediendum esse praelatis, quare eiusmodi peccata semper speciem accipient a transgressione huius praecepti naturalis.

Quod si hinc inferas omnia peccata contra legem positivam commissa esse in eadem specie inobedientiae, RESPONDEO: semper habent speciem subalternam inobedientiae commune omnibus peccatis eiusmodi, sed praeterea habent peculiarem speciem contra illam virtutem ad cuius finem ordinabatur praecipitum, ut si ordinabatur praecipitum ad cultum Dei peccatum habebit speciem ex privatione debitae religionis; si ordinabatur ad bonum proximi habebit speciem ex privatione debitae caritatis.

Si ulterius inferas eadem peccata non habere aliam speciem malitiae propriam materiae in qua versantur, quia non prohibentur alio praecipto nisi praedicto, RESPONDEO distinguendo consequens: habent enim aliquam malitiam venialem propriam materiae in qua versantur; v.gr., praecipitum est iejunium Quadragesimae in honorem Passionis: qui ob amorem delectationis in cibo violat

ieiunium committit peccatum mortale contra religionem et cultum Passionis praeceptum lege positiva, et praeterea habet malitiam gulae in quantum amat ut finem delectationem in cibo, quod est contra praeceptum naturale obligans sub veniali ut delectatio cibi non ametur propter se, sed propter bonum honestum. Sed hoc amplius explicare non est huius loci. Vide dicenda infra, a.6 de omissione, dub.5, dicto 4<sup>o</sup> et sequentibus.

Ex dictis COLLIGITUR: 1<sup>o</sup>, ad distinctionem peccatorum nihil esse curandum de unitate propositionum vocalium quibus prohibentur; possunt enim eisdem verbis prohiberi peccata diver[<sup>f.152</sup>sae speciei ut illis verbis *non moechaveris* prohibentur fornicationes simplices, adulteria et peccata contra naturam, et adduntur postea alia verba scilicet *non concupisces uxorem proximi tui*, quibus peccata eiusdem speciei prohibentur quae prohibita fuerant sexto praecepto. Igitur solummodo habenda est ratio diversitatis quae reperitur in ratione praecipiendi, ut dictum est. Et hoc tantum intendit D. Thomas, infra, a.6 ad 2 quando ait peccata non distingui penes praecepta, ut constat ex ipso contextu.

SEQUITUR 2<sup>o</sup>, praeceptum positivum superveniens praecepto naturali addere novam speciem peccato, quia eo ipso inducit peculiarem honestatem saltem obedientiae et peculiarem turpitudinem saltem inobedientiae; et propterea in religiosis furtum, v.gr. habet duplē rationē malitiae, quia non solum lege naturali prohibitum est, sed etiam lege peculiari religionis et voto paupertatis. Advertendum est tamen saepe proponi in iure positivo aliqua solummodo ad revocandum in memoriam ius naturale sine animo inducendi novam obligationem, et illa non habent vim legis positivae, et propterea non inducunt novam speciem peccati. Et quantum ad hoc tantummodo recte dixere Caietanus<sup>26</sup> et Medina<sup>27</sup>, infra, a.6 diversa praecepta subordinatorum praelatorum non inducere diversa peccata.

---

<sup>26</sup> THOMAS A VIO, OP, *Commentarii in Summa Sti. Thomae*, 1.2., q.72, a.6: ed. leon. operum Sti. Thomae, 7, 20b.

<sup>27</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, 1.2. q.72, a.6: Venecia 1602, p. 374a.

Rom 7 [Gal 5, 7]. De quo vide Augustinum 14 De Civitate, cap.2 et 3<sup>37</sup>, sed non sic accipitur caro in praesenti distinctione.

Disputat Medina hic<sup>38</sup> utrum peccata carnalia possint esse in angelis; sed non est huius loci.

### Articulus 3

#### Utrum peccata distinguantur specie secundum causas

[f.153]

1º, non distinguntur specie secundum causas materiales et formales ex quibus constent, quia solae substantiae constant materia et forma. Dici autem potest causa formalis quodammodo differentia specifica actus et constat per illam distingui. Est etiam causa materialis in qua recipiuntur peccata voluntas, et constat per illam non distingui specie cum voluntas omnia peccata recipiat.

2º: peccata non distinguntur specie per causas efficientes, quia non sunt determinatae ad tale vel tale peccatum, sicut voluntas, cognitio, amor alicuius creaturae aut timor vel quaelibet alia passio quae quodammodo in genere efficientis inducit ad peccatum; potest tamen idem amor, v.gr. honoris, inducere ad furtum, sacrilegium, homicidium et alia huiusmodi. CONFIRMATUR, quia efficiens causa peccatorum aliqua datur quae possit esse una omnium, ut 1 ad Tim [6,10] radix omnium malorum est cupiditas.

Et hinc constat ratio discriminis propter quam actiones naturales distinguntur specie penes principia efficientia, non vero actiones liberae scilicet quia completum efficiens actionis naturalis debet esse determinatum ad suam actionem, minime vero completum efficiens actionis liberae, sed potius debet esse indifferens. Notat bene Caietanus<sup>39</sup>, per accidens evenire posse distinctionem

<sup>37</sup> AUGUSTINUS, *De civitate Dei libri XXII*, 1.14, c.2 y 3: CCL 48, 414ss; PL 41, 403-407.

<sup>38</sup> B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae....*, q.72, a.3: ed. c., 370s.

<sup>39</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa Sti Thomae*, 1.2., q.72, a.3: ed. leon. Operum S.Th., 7, 16.

specificam ab his causis efficientibus quatenus inducunt ad diversa motiva intendenda et ad obiecta cum diversis deformitatibus.

Hinc infert D. Thomas non esse divisionem generis in species has et similes quae dantur per causas scilicet omne peccatum aut provenit ex timore male humiliante aut ex amore male inflammente, apud Augustinum<sup>40</sup> in id Psalmi 79 [17] incensa igni et suffossa ab increpatione vultus tui peribunt; et 1 Ioannis 2, [16]: omne quod est in mundo aut est concupiscentia carnis aut concupiscentia oculorum aut superbia vitae; et celebris divisio septem vitiorum capitalium apud Gregorium, 31 Moralium, cap.35<sup>41</sup>, quas divisiones tradunt communiter Doctores cum Magistro, 2, d.42.

Sed DICES: habitus vitiosi sunt causae determinatae ad pecunioria peccata; ergo per illos distinguuntur peccata. RESPONDEO negando consequentiam, quia sicut actus simpliciter priores sunt habitibus secundum speciem suam et causa illorum ita non causatur distinctio actuum ex habitibus, sed potius causat distinctionem habitibus. Loquitur autem D. Thomas in praesenti de illis causis quae secundum speciem [f.153v] suam possunt esse causae et priores aliqua specie actuum.

3º: a causa finali distinguuntur peccata specie modo explicato in a.1, nam finis est obiectum formale volitionis. Quod si D. Thomas, supra, q.1, a.3, ait actiones humanas distingui specie ex principio activo<sup>42</sup>, ipse eius contextus indicat appellari a Divo Thoma principium activum, non causam efficientem, sed finem in quantum movet voluntatem ut eo modo loquendi finem ut moventem distinguat ab eodem fine in quantum terminat et quasi patitur volitionem. De causis autem peccatorum plura dicenda sunt infra q.75 et tribus sequentibus.

<sup>40</sup> AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, Ps.79 (17), 13: CCL 39, 1118; PL 36, 1026s.

<sup>41</sup> GREGORIUS MAGNUS, *Moralia in Job*, l.31, c.45: CCL 143B, 1610–1613; PL 76, 620–622.

<sup>42</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.1, a.3: ed leon. 6, 10.

## Articulus 4

### Utrum peccatum convenienter distinguatur in peccatum in Deum, in se ipsum et proximum

1<sup>a</sup>. Ii respectus peccatorum in Deum, in proximum et in se ipsum sic possunt accipi ut non solum non sint differentiae oppositae, sed etiam se mutuo inferant et se invicem implicite includant, ut colligitur ex dictis supra, q.71, a.2 et a.6, praesertim dubio ultimo<sup>43</sup>, nam de ratione cuiuscumque peccati est transgressio legis divinae, et propterea iniuria et contumelia Dei, et praeterea eo ipso omne peccatum est contra hominem peccantem quem decet obedire Deo, quod est summum bonum rationis; unde quicumque peccat se ipsum contumeliis afficit et dehonestat, ut optime D. Basilius, in cap.13 Isaiae<sup>44</sup>. Insuper eo ipso laedit proximum aliquo modo, saltem rempublicam totius universi cui turpe est et malum aliquam sui partem esse turpem. E contra vero qui laedit proximum eadem ratione Deum offendit, ut 1 Cor 8,[12]: *peccantes in fratres et percutientes conscientias eorum infirmas in Christum peccatis*. Et qui peccat in seipsum eo ipso peccat in Deum, quia homo non est sui iuris, sed Dei; et praeterea est templum Dei, ut docuit D. Paulus, 1 Cor 6,[19].

2<sup>a</sup>. Nihilominus sunt peculiares aliqui respectus peccatorum in Deum, in se ipsum et proximum secundum quod recte dividitur peccatum: sicut enim sunt quaedam virtutes quae peculiari ratione et immediatus Deum respiciunt ut virtutes theologicae et religio et poenitentia, ita etiam peccata his virtutibus directe opposita sunt peculiari ratione contra Deum ut infidelitas, odium Dei, sacrilegium et similia. Hoc fere modo peccatum in Deum explicatur a Patribus modo citandi. Aliae virtutes sunt quae directe et immediate componunt hominem ut illum [f.154] decet et non respiciunt peculiater Deum nec proximum veluti temperantia et prudentia; et peccata his virtutibus opposita sunt contra se ipsum. Aliae vero

<sup>43</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q 71, a.2: ArchTeolGran 49 (1986) 264–296; ID., *ibid.*, a.6: *Ibid.* 2 (1939) 235–292, especialmente dub.8, pág. 288–292.

<sup>44</sup> BASILIUS, *Enarratio in Prophetam Isaiam*, c.13, v.11: PG 30,590.

virtutes respiciunt immediate proximum, ut iustitia et misericordia, contra quas committuntur peccata quae sunt contra proximum. Hanc distinctionem tradit D. Isidorus, *De summo bono*, apud D. Thomam hic, et sub duobus tantum membris, scilicet peccati in Deum et in hominem, traditur a Patribus saepe: Augustino, tom. 4<sup>o</sup>, sermone 47 *De sanctis*<sup>45</sup>; Chrysostomo, in expositione psalmi 91<sup>46</sup>; Gregorio, in 1 Reg, cap.3 *Expositionis moralis*<sup>47</sup>; Concilio Aquisgranensi, l.2, c.6<sup>48</sup>, in 3 tomo Conciliorum Sixti V, t.3, pag. 854; et Scholasticis communiter cum Magistro, 2, d.42.

Colligitur autem haec divisio ex 1 Reg 2, [25]: *Si peccaverit vir in virum, placari ei potest Deus; si autem in Deum peccaverit, quis orabit pro eo?* Et praeterea Mt 10 [25] et 12 [32], et Mc 3 [29], Lc 12 [10] et Jn 5 fit mentio peccati in Spiritum Sanctum; et Mt 18 [15.21] fit mentio peccati in proximum; et 1 Cor 6 [18] peccati in seipsum. Sunt et alia Sacrae Scripturae loca quibus haec divisio accommodatur veluti ad Tit 2 [12]: *sobrie et iuste et pie*, sobrie in ordine ad se, iuste ad proximum, pie ad Deum, ut intellegit Anselmus<sup>49</sup> et D. Thomas ibi<sup>50</sup>, et D. Bernardus, Sermone 4 de Natali Domini<sup>51</sup>.

Sed OBICES: si quod peccatum est contra proximum, maxime homicidium et adulterium quo laeditur homo in maximis bonis scilicet vita, honore et prole; sed de his peccatis David veniam a Deo petens ait: *Tibi soli peccavi*; ergo nullum peccatum est contra proximum. RESPONDEO: his verbis significari Deum solum esse qui iuste possit peccatorum poenas exigere, quia ab omni peccato liber sit, alios autem non nisi Dei nomine. Ita D. Augustinus, in Psalmo 50<sup>52</sup> et D. Gregorius, in Septem psalmis poenitentialibus, Psalmo 4<sup>53</sup>.

<sup>45</sup> AUGUSTINUS, *Sermo 225* (olim *De sanctis 47*), 5: PL 39, 2162.

<sup>46</sup> IOANNES CHYSOSTOMUS, *In expositione Psalmi 91*: cf PG 55, 763s.

<sup>47</sup> No hemos econtrado esta cita.

<sup>48</sup> CONCILIUM AQUISGRANENSI, lib.2, c.6: Colonia 1551, t.2, p.722a.

<sup>49</sup> ANSELMUS, *Commentaria in epistolam ad Titum*, 2,2: Colonia 1612, t.2, p.387B.

<sup>50</sup> THOMAS AQ., *Epistolae ad Titum commentaria*, c.2, lec.3: ed Vivès 21, 546s.

<sup>51</sup> BERNARDUS, *De Nativitate Domini*, sermo 4, 2: ed. Cisterc.1966, t.4, p.265.

<sup>52</sup> AUGUSTINUS, *Enarrationes in Psalmos*, in Ps 50, 9: CCL 38, 605; PL 36, 590s.

<sup>53</sup> PS.GREGORIUS, *In septem Psalmos poenitentiales expositio*, Ps.4: PL 79, 585, n.5.

Ex dictis facile constare potest hanc distinctionem peccatorum esse specificam, quia, ut dictum est, diversis honestatibus virtutum privant haec peccata, et diversa obiecta respiciunt. Colligitur praeterea esse sufficientem divisionem quia nullum reperietur peccatum quod haec omnia membra subterfugiat.

### **Articulus 5**

#### **Utrum divisio peccatorum secundum reatum diversificet speciem**

Agit D. Thomas, hic, de reatu poenae et non de reatu culpea.

RESPONDEO reatum poenae non afferre distinctionem specificam, quia peccatum mortale et veniale p[er] [f.154v]niuntur poenis specie diversis, et tamen aliquando sunt eiusdem speciei peccatum mortale et veniale. Sed de hoc satis dictum est post q.71 in q.88, a.1, dub.9 et dub.15<sup>54</sup>.

### **Articulus 6**

#### **Utrum peccatum omissionis et commissionis differant specie**

Hic tradenda erunt omnia quae ad omissionem pertinent.

### **Dubitatur 1º**

#### **Utrum recte dividatur peccatum in commssionem et omissionem praeter praceptum affirmativum et negativum**

1º. *Communis est divisio peccati in omissionem et commissionem, quae colligitur ex illis verbis Lev 7 [7] Sicut pro peccato offertur hostia ita et pro delicto, ubi delicum omissionem significat, peccatum vero commissionem; quamvis saepe alibi*

<sup>54</sup> DIEGO RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in materiam de peccatis*, 1.2., q 88, a.1, dub. 9 y 15: ArchTeolGran 53 (1990) 239–244 y 54 (1991) 307–316..

delictum et peccatum idem valeant. Haec tradit D. Augustinus, lib.3, Quaestionum, in Leviticum, cap.20<sup>55</sup> late, quae deducit ex ipsa nominum ethimologia; et D. Gregorius, hom.21 in Ezechielem<sup>56</sup>, quamvis uterque sub dubio. Origenes, hom.5 in Leviticum<sup>57</sup>; Glossa ordinaria et Lyra, Lev.7 [7]<sup>58</sup>; et similiter in illis ad Ef 2 [1]: *Cum essetis mortui in delictis et peccatis vestris* intelligit Glossa commissionem et omissionem. (Plures acceptiones huius vocis *delictum* adduximus in proemio ad hanc materiam, n° 7[ATG 49 p.250]) Tradi videtur omissionis peccatum illis verbis Iacobi 4, [17]: *scienti bono et non facienti peccatum est ei.* COLLIGITUR praeterea haec divisio ex duplice precepto, quia vel affirmativa sunt et inducunt ad bonum vel negativa sunt et abducunt a malo. Traditur haec distinctio ab omnibus theologis, cum Magistro, 2, d.42 et aliis in locis citandis in dicto 3.

2º. *Huius divisionis sufficientia evidens est*, quia violato quolibet precepto contradictoria sunt cum actu aut sine actu, et ideo non potest inter illa esse medium. CONFIRMATUR, quia non possunt esse alia precepta nisi affirmativa vel negativa.

Nihilominus Dionysius, in 2<sup>59</sup> existimat esse medium inter omissionem et commissionem, peccatum scilicet per solum conatum sine actu. Hanc sententiam refert et probabilem et in scholis defensatam dicit Almain, 3 *Moralium*, c.26 a medio<sup>60</sup> [f.155] licet ipse oppositam sequatur. Ratio huius sententiae est, quia contingere potest aliquem conari libere ad actum malum et tamen illum actum non elicere sive quia Deus non vult concurrere ad illum actum sive quia vis resistens actui voluntatis maior est quam conatus voluntatis.

<sup>55</sup> AUGUSTINUS, *Quaestiones Levitici*, 1.3, c.20, 2 y 3: CCL 33, 185s; PL 34, 681.

<sup>56</sup> GREGORIUS MAGNUS, *In Hiezechiem II*, Hom.9, 3: CCL 142, 358; PL 76, 1043.

<sup>57</sup> ORIGENES, *In Leviticum*, Hom.5, n.4: PG 12, 453.

<sup>58</sup> Véase, por ejemplo, en: *Biblia Sacra, cum Glossa ordinaria...et Postilla N. Lyrani*, Ad Lev 7,7: Lyon 1590, t.1, col.959.

<sup>59</sup> DIONYSIUS CARTHUSIANUS, *In Sententiarum librum secundum commentarii*, d.42, q.1: Venecia 1584, p.582.

<sup>60</sup> ALMAIN, *Moralium*, 3, c.26: Paris 1526, f.120v-121.

Haec sententia est omnino improbabilis, quia licet possimus conari libere ad eliciendum aliquem actum alterius potentiae a voluntate, et tamen illum non elicere, quia conatus liber est actus voluntatis, nihilominus implicat contradictionem esse conatum liberum sine actu voluntatis, quia non est habitus et non est aliquid in voluntate quod non sit actus vel habitus. CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quia ille conatus si non est liber non erit peccatum, si autem est liber iam est actus, siquidem libere procedit a voluntate et est circa aliquod obiectum et pendet in fieri et conservari ab actuali concursu voluntatis et nihil illi deficit ad essentiam volitionis. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia ex hac sententia non solum sequitur hominem mereri posse et demereri sine actibus, sed etiam sequitur illum nihil prorsus mereri aut demereri per actus, quod est contra communem sensum sanctorum. Sequelam PROBO, quia ex tali conatu libero sublatis impedimentis necessario sequitur actus; ergo non imputatur bonitas aut malitia ratione actus in quo non est libertas, sed ratione conatus.

Ad fundamentum huius sententiae RESPONDEO: si Deus auferret concursum actus aut vis extrinseca resisteret, non solum impediretur actus voluntatis sed etiam conatus ad illum, quia sunt idem realiter. Sed DICES: conatus est prior quam actus; ergo potest esse sine illo. RESPONDEO negando consequentiam et explicando antecedens, nam conatus idem sonat quod actio seu dependentia illius qualitatis ab agente; at vero actus quandoque importat hanc formalitatem actionis et tunc est idem formaliter cum conatu; quandoque vero et frequentius actus sumitur pro qualitate inherente in potentia, et tunc actus distinguitur formaliter a conatu, sed non realiter, sicut calor a calefactione.

DICO 3<sup>o</sup>: *Omissio differt a commissione quia est contra praeceptum affirmativum.* Ita D. Thomas, hic ad 2 et 2.2., q.79 saepe<sup>61</sup>; Albertus, 2 p., trac.18, q.123, mem.1<sup>62</sup>; Alexander, 2 p.,

---

<sup>61</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.79: ed. leon. 9, 170ss.

<sup>62</sup> ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.19, q.123, mem. 1: ed. Vivès \*33, 406s.

q.128, mem.2<sup>63</sup>; Bonaventura, 2, d.42 in expositione litterae<sup>64</sup>; Antoninus, 1 p., tit.7, c.2, § 3<sup>65</sup>; Ricardus, 2, d.35, a.1, q.1 ad 5<sup>66</sup>; Almain, 3 Moralium, c.25<sup>67</sup>; Aegidius, 2, d.35, q.1, a.2 versus finem<sup>68</sup>. [f.155v]

PROBATUR, quia omissio est negatio actus debiti; ergo per se opponitur pracepto faciendi et e contra commissioni. Hanc conclusionem dicuntur negare Gabriel 2, d.41, q. unica, dub. 3<sup>69</sup> et Almain, 3 Moralium, cap. 25, sed vere non negant sed asserunt omissionem esse quodammodo commissionem, et e contra, ut dicetur in solutione sequentium argumentorum.

1<sup>um</sup>. argumentum est, quia omissio est contra praceptum negativum non omittendi; ergo penes praceptum affirmativum non distinguitur a commissione. RESPONDENT aliqui esse in re affirmativum praceptum non omittere, quia licet omittere significetur modo affirmativo, vere tamen negativum est, significat enim negationem actuum, unde non omittere affirmativum erit, quia duae negationes affirment. Id quidem, quod attinet ad actum exteriorem et ad entitatem physicam interioris actus, recte dictum est. Nihilominus quod attinet ad entitatem moralem, omissio quae est peccatum est actus interpretatus vere liber quamvis non sit realis actus et ideo omissio, in quantum est actus interpretatus prohiberi potest pracepto negativo, sed tamen tale praceptum merito accipit denominationem affirmativi ab eo in quo distinguitur a pracepto quo prohibetur omissio. Hinc sequitur in omni peccato omissionis esse quamdam rationem commissionis, sicut e

<sup>63</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.128, mem.2: Lyon 1516, fol.278a.

<sup>64</sup> Véase nota 36.

<sup>65</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.7, c.2, § 3: Lyon 1529, f.92vb–93rb.

<sup>66</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.35, a.1, q.1 ad 5: Brujas 1591, t.2, p.430.

<sup>67</sup> ALMAIN, *Moralium*, 1.3, c.25: Paris 1526, f.118v.

<sup>68</sup> AEGIDIUS A COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum quaestiones*, d.35, q.1, a.2: Venecia 1584, p.519a–b.

<sup>69</sup> GABRIEL BIEL, *Collectorium*, 2, d.41, q.un., dub.3: ed Tubinga 2, 686–692, especialmente en esta última.

contra in omni peccato commissionis est quaedam ratio omissionis, ut dicetur in obiectione 3, de quo late et acute Almain citatus.

OBIICIUNT 2º quia iudex omittens defensionem innocentis in causa capitinis, peccat contra praeceptum negativum «non occides»; ergo etiam omissionis est contra praeceptum negativum. — RESPONDEO: sub verbis quae ex modo loquendi negativa sunt clauduntur affirmations virtualiter eorum quae necessaria sunt ad illam negationem et ne iudex contra ius pronuntiet mortis sententiam opus est innocentem a calumniis iniquorum defendere.

OBIICIES 3º, quia indevote orare et in peccato mortali recipere Eucharistiam et pleraque aliae actiones sunt peccata commissionis, et tamen non sunt contra praeceptum negativum, non enim praecipitur non communicare et non orare. — RESPONDEO: licet non sit praeceptum non orandi, est tamen praeceptum non orandi indevote, et propterea illud est peccatum commissionis. — INSTABIS: similiter diceretur esse peccatum omissionis, quia est contra praeceptum positivum orandi devote, ex suppositione quod oret. — RESPONDEO propterea participare quam[f.156]dam rationem omissionis; verum communem omni peccato commissionis cui semper deest honestas quam deberet habere actus humanus et propterea haec ratio omissionis non est quae distinguitur a commissione ut membrum dividens peccati, de quo bene Alexander, 2 p., q.130, mem.3<sup>70</sup>; Almain et Gabriel citati post 3 conclusionem; significat Altissiodorensis, l.2, trac. 29, cap.2, prope finem<sup>71</sup>. Et haec vera erunt non solum quando nullum modo praeceptum orandi urget, sed etiam quando urget praeceptum orandi; tunc enim etiam est praeceptum non orandi indevote, contra quod fit peccatum commissionis si indevote oretur. In quo praeterea includitur peccatum omissionis contra praeceptum positivum orandi.

OBIICIES 4º, quia positiva voluntas non audiendi Sacrum in die festo est commissio, et tamen est contra praeceptum affirmativum.

<sup>70</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.130, mem.3: Lyon 1516, fol.281b.

<sup>71</sup> GUILIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, l.2, tr.29, c.2: Paris, s/d, fol.105v.

RESPONDEO illud praeceptum, quamvis quoad actum exteriorem sit solum affirmativum, verum quoad actum interiorem continet etiam negationem, quia prohibet omnem actum positivum contrarium impletioni praecepti; unde talis actus est contra praeceptum negativum magis immediate quam contra praeceptum affirmativum, et propterea magis accedit ad commissionem quamvis multum accedat ad rationem omissionis. Hoc intelligendum est non solum de voluntate directa et expressa omittendi Sacrum, sed etiam de voluntate indirecta et tacita, scilicet qua eligitur opus incompossibile Sacro.

OBIICIES 5<sup>a</sup>, quia comedere carnes aut saepius comedere in die ieunii est commissio et tamen est contra praeceptum affirmativum ieunandi. D. Thomas, hic, corpore, ut omissionis exemplum ponit violationem debiti ieunii. Sed id non satis exacte discussi, quia exemplorum veritas non admodum necessaria est. Communiter tamen et merito iuniores docent praeceptum ieunii esse negativum in re, licet in modo enuntiandi sit affirmativum; est enim praeceptum non comedendi nisi semel tantum, nec nisi tales cibos et post talem horam.

OBIICIT 6<sup>a</sup> Alexander, 2 p., q.130, mem.1<sup>72</sup>, quia *declinare a malo et facere bonum* non sunt diversae virtutes, sed utrumque necessarium est ad integritatem unius virtutis; ergo etiam omissio et commissio illis correspondentes non sunt duo peccata, sed partes unius peccati. RESPONDET Alexander negando consequentiam, quia peccatum consistere [f.156v] potest unius tantum partis defectu, sed virtus non nisi ex integra causa.

## Dubitatur 2<sup>a</sup>

### Utrum omissio et commissio specie differant

DICO 1: *Pura omissio semper distinguitur a commissione specie physica negative*, scilicet non est eiusdem speciei physicae

<sup>72</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.130, mem.1, 4 y ad 4: Lyon 1516, fol.281ab.

cum commissione, quamvis non proprie habeat speciem omissio, quia est ens rationis, ut infra dubio 3.

DICO 2º: *Omissio pura non afferit speciem moralem distinctam a commissione.* Ita D. Thomas, hic, Cajetanus et communiter iuniores, uno Zumel contradicente in dub.2, concl.1<sup>73</sup>. EXPLICATUR ET PROBATUR, quia licet aliqua omissio specie morali differat ab aliqua commissione, ut non audire Sacrum specie differt ab homicidio, nihilominus saepe omissio et commissio sunt eiusdem speciei moralis; quod ut melius percipiamus sicut distinguimus in commissione positivam monstruositatem, et praeterea negationem debitae honestatis, sic distinguamus etiam in omissione interpretativam monstruositatem positivam qua interpretative volitum sit obiectum malum et praeterea privationem debitae honestatis.

1º igitur, hanc interpretativam monstruositatem omissionis esse aliquando eiusdem speciei moralis cum commissione PROBAT optime D. Thomas, hic, quia aliquando habet finem et obiectum cum eadem malitia; nam omissio restituendi ea quae debentur procedit ex eodem motivo et habet idem obiecctum interpretative volitum cum eadem turpitudine quod habet acceptio rei alienae invito domino; utraque enim intendit abundantiam divitiarum et habet cum obiecto coniunctam malitiam iniustitiae et avaritiae. CONFIRMAT D. Thomas a simili, nam sicut in naturalibus ab eadem essentia provenit et in eundem finem ordinatur ignem calefacere et non infrigidare, et ideo reducitur ad eandem speciem, ita etiam in moralibus ab eadem inclinatione in eundem finem provenit quandoque agere et non agere, et propterea sortitur eandem speciem moralem.

2º PROBATUR omissionem aliquam sub ratione formalis peccati esse eiusdem speciei cum commissione, quia privat eadem prorsus honestate debita a qua sumitur species peccati, supra a.1, concl.2.

Sed CONTRA HAEC ARGUITUR, 1º, quia omissio amoris Dei quando amari debet non est eiusdem speciei [f.157] moralis cum

<sup>73</sup> F. ZUMEL, *In primam secundae Sti. Thome commentarius*, q.72, a.6, concl.1: Salamanca 1594, p.212b.

odio Dei et omissio debiti actus fidei est eiusdem speciei cum actu infidelitatis, et tamen privant eadem virtute; ergo non recte in omissione colligitur identitas specifica ex privatione eiusdem entitatis. RESPONDEO recolendo ex a.1, argumento 3 contra 2<sup>am</sup> conclusionem, eidem virtuti contraria esse privationes specie diversas, quia privant diversis partibus honestatis eiusdem virtutis. Praeterea odium Dei semper est propter aliquod motivum quod habeat peculiarem turpitudinem oppositam peculiari dictamini rationis rectae, nullus enim Deum odio prosequitur nisi ut ea ratione vindictam sumat et aliquomodo rependat vicem ei a quo punitur, vel quia existimat Deum non sine culpa negligere res humanas vel alia quavis ratione. Ista autem motiva carent peculiari aliqua honestate ratione cuius tenemur omnia Dei opera accipere ut iustissima; quod autem haec honestas pertineat ad caritatem ut pars quasi integralis illius vel pertineat ad aliam virtutem, non curo, dummodo huius honestatis privatio non reperiatur in omissione divini amoris contingente ex negligantia vel ex nimio amore alicuius creaturae. Si autem omitteret aliquis amorem Dei propter aliquod ex illis motivis odii, tunc omissio amoris esset eiusdem speciei moralis cum odio. Et quia omissio restitutionis debitae et furtum saepe contingunt ex eodem motivo et sine alia peculiari privatione honestatis, et similiter aliae omissionses et commissiones, recte dictum est illa esse eiusdem speciei.

Quod dixi de odio Dei et omissione debiti amoris, servata debita proportione applicandum erit omissioni actus fidei et actui infidelitatis et omissioni actus spei et desperationi. Obiter tamen adverte in pura omissione cuius nullus actus positivus causa sit plerumque nullum esse motivum praeter negationem actus, quia solum est imputabile interpretative id quod tenemur velle et non volumus et nulla datur ratio interpretandi hanc omissionem fieri propter aliquod motivum; quia licet motivum requiratur semper ad operandum, ceterum ad non operandum non requiritur. Verumtamen aliquando in pura omissione datur motivum interpretative volitum, ut explicabimus in appendice post dubium 3.

2<sup>o</sup> ARGUITUR a distinctione specifica praeceptorum sumitur distinctio specifica peccatorum, supra, a.1, conclusione 4; sed

praeceptum affirmativum cui opponitur omissio [f.157v] specie differt a praecepto negativo cui opponitur commissio; ergo omissio specie differt a commissione.

Huius occasione disputant hic expositores D. Thomae, utrum distinctio peccatorum sumatur ex distinctione praeceptorum; sed de hoc satis dictum est a.1, concl.4. Nunc RESPONDEO affirmationem et negationem non differre specie in intellectu quando sunt propter eandem rationem formalem, veluti homo est discursivus homo non est irrationalis, quia est rationalis, non sunt assensus specie diversae; sic etiam in praeceptis, sive ex parte obiecti illa consideres, sive ex parte nostrae rationis dictantis, non differunt specie affirmatio et negatio quando sunt propter eandem rationem formalem obligandi, scilicet propter eandem honestatem.

**3<sup>a</sup> ARGUITUR:** quia prodigalitas et avaritia specie differunt, quia respiciunt honestatem liberalitatis diversimode, scilicet ut excedens et diminutum; sed omissio et commissio similiter se habent; ergo differunt specie. RESPONDEO negando minorem, nam sive furtum sive omissio restitutionis debitae respiciunt iustitiam et liberalitatem ut diminutum, et praeterea non solum prodiga effusio rei familiaris, sed etiam omissio curandi de illa privant liberalitate per excessum; quomodo autem excessus et defectus inducant diversitatem specificam dixi a.1, post 2 conclusionem in 3 argumento et dicam in a.8.

**4<sup>a</sup> ARGUITUR,** quia voluntarium indirectum et interpretativum specie differunt a voluntario formalis et directo; ergo omissio specie differt a commissione. RESPONDEO distinguendo antecedens, nam physice differunt specie negative, ut in 1<sup>a</sup> conclusione dictum est, sed morali specie non differunt.

**5<sup>a</sup> ARGUITUR,** quia species moralis peccatorum sumitur ex deformitate ad rationem; sed omissio et commissio habent diversas deformitates a ratione, sicut in rebus physicis forma positive contraria naturae diversam dissonantiam habet quam carentia formae debitae. RESPONDEO: omissio non est accipienda moraliter quasi negatio actus, sed quasi actus interpretativus qui morali existimatione idem valet quod actus positive contrarius quo aliquis velit omittere.

6º ARGUITUR ex D. Thoma, 2.2., q.79, a.2 et 3, transgressio (scilicet commissio) specie differt ab omissione<sup>74</sup>. Medina, in fine huius a.6<sup>75</sup>, et communiter iuniores supponunt id expresse asseri a D. Thoma et respondent D. Thomam loqui ibi de transgressione explicite intendente conculcationem praexcepti, scilicet ex contemptu. Cui explicationi fa[f.158]vet D. Thomas in dicto articulo 2, in fine corporis. Nihilominus haec expositio non satis consonat illi, a.2 et 3<sup>76</sup>, et praeterea D. Thomas non ait transgressionem specie differre ab omissione, sed tantum ait transgressionem et omissionem sumi posse large sique pugnare posse cum virtutibus omnibus. Si autem stricte sumantur trangressio et omissio sunt contra iustitiam specialem virtutem respicientem debitum et propterea esse specialia peccata distincta ab iis peccatis quae aliis virtutibus opponuntur. At vero inter se omissionem et commissionem differre sicut differunt inter se facere bonum et fugere malum; unde sic prossimus inferre facere bonum et fugeer malum non differunt specie, sed tantum materialiter; ergo omissio et transgressio non differunt specie.

### Dubitatur 3º

#### Utrum ad omissionem requiratur aliquis actus

Affirmant aliqui Doctores, quamvis diversimode, nam alii dicunt actum positivum voluntatis esse de essentia peccati omissionis, ut Albertus, 2 p., tract. 19, q.124<sup>77</sup>. Et videtur ita sentire Alexander, 2 p., q.130, fine<sup>78</sup>, verumtamen si conferatur cum aliis locis citandis pro 2º sententia magis favet illi. Tribuitur etiam Gabrieli, sed falso. Alii autem existimant ad peccatum omissionis requiri actum positivum voluntatis qui sit eius causa. Ita D. Thomas, 2, d.41, q.2<sup>79</sup>, et in praesenti articulo, et q.2 De

<sup>74</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.79, a.2 y 3: ed. leon. 9, 170.

<sup>75</sup> B. DE MEDINA, OP, *Expositio in primam secundae...*, q.71, a.6: Venecia 1602, p.374b-375.

<sup>76</sup> Véase nota 73.

<sup>77</sup> ALBERTUS MAGNUS, *Summa Theologiae*, 2 p., tr.19, q.124: ed. Vivès 33, 409.

<sup>78</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.130, mem.10 fine: ed.c., 283b.

<sup>79</sup> THOMAS AQ., *In 4 Sententiarum*, 2, d.41, q.2, a.1c y ad 4: ed. Vivès 8, 545.

6<sup>92</sup>, ubi Ricardus, a.1, q.1<sup>93</sup>, Carthusianus, q.3<sup>94</sup>, Occam, q.2 et 10<sup>95</sup>; Almain, 3<sup>a</sup> Moralium, c.25 et 26<sup>96</sup>; Gabriel, 2, d.41 versus finem<sup>97</sup>; Marsilius, 2, q.21, a.2<sup>98</sup>; Maior, d.42, q.2<sup>99</sup>; Bacon, d.44, a.3<sup>100</sup>; Adrianus, 4, q.3 de Eucharistia, in solutione 7<sup>101</sup>; et optime Aegidius, 2, d.35, q.1, a.2<sup>102</sup>; Petrus de Soto, De institutione sacerdotum, tract. de peccatis, lect.6<sup>103</sup>; Medina, q.71, a.5<sup>104</sup>; Valentia, 1.2., d.6, q.1, punto 4<sup>105</sup>. Et idem videtur sentire Alexander, 2 p., q.128, mem.4 et q.130, mem.1 ad argumenta<sup>106</sup>.

Supponitur ut certum ad omnem omissionem culpabilem requiri actus intellectus quo vel formaliter et expresse vel virtualiter et implicite cognoscatur malitia omissionis; nihil enim potest esse volitum nec formaliter nec interpretative nisi cognitum fuerit. Haec cognitio facile ostenditur esse in eo qui scienter omittit quod iudicat esse praeceptum; sed in eo qui vincibiliter

<sup>92</sup> DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 2, d.35, q.2, nn.5,6: Amberes 1566, f.191.

<sup>93</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.35, a.1, q.1, concl.: Brujas 1591, t.2, p.429.

<sup>94</sup> Véase nota 81.

<sup>95</sup> G. OCCAM, *Super quatuor libros Sententiarum Annotationes*, In tertium, q.2 C y q.10 I: Lyon 1495, s/f.

<sup>96</sup> ALMAIN, *Moralium*, 1.3, c.25 y 26: Paris 1526 ff.118–122.

<sup>97</sup> G. BIEL, *Collectorium...*, 2, d.41, q.un., dub.3: ed. c., p.689ss.

<sup>98</sup> MARSILIUS INGHEN, *Quaestiones super quatuor libros Sententiarum*, 2, q.21, a.2, concl.3: Heidelberg 1501, f.320vb.

<sup>99</sup> J. MAIOR, *In secundum librum Sententiarum*, d.42, q.2: Paris, 1519, f.157a.

<sup>100</sup> J. BACON, *Super quatuor Sententiarum libros*, 2, d.44, q.1, a.3: Venecia 1526, f.204v.

<sup>101</sup> HADRIANUS VI, *Disputationes in Quartum Sententiarum praesertim circa sacramenta*, De sacramento Eucharistiae, q.3 ad 7: Roma 1522, fol. 32 ab.

<sup>102</sup> AEGIDIUS A COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum Quaestiones*, 2.35, q.1, a.2: Venecia 1584, p.518s.

<sup>103</sup> P. DE SOTO, *De institutione sacerdotum*, Tr. de peccatis, lect.6: Amberes 1566, f.346.

<sup>104</sup> B. DE MEDINA, *Expositio...*, q.71, a.5 ad 5: ed.c. p.361.

<sup>105</sup> G. DE VALENTIA, *Comment. Theolog.*, t.2, In 1.2., d.6, q.1, punto 4: Lyon 1603, cols. 536–542.

<sup>106</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.128, mem.4 y q.130, mem.1 ad 1: ed.c., fol.278b y 281b.

errat existimans sibi nihil esse praeceptum reperitur virtualiter haec cognitio quatenus propter rationes insufficienes iudicat se non teneri; nam in rationibus praedictis cognoscitur obiectum sufficiens unde possit inferri temeritas iudicantis propter illas solas rationes, in qua temeritate continetur periculum peccandi, sed de hoc dicendum est late q.76, a.2, dub.2 et 3.

Si quando omittimus nec formaliter nec virtualiter cogitamus de obligatione tunc omissio non erit libera et culpabilis propter praesentem libertatem; poterit autem esse culpabilis [f.159] propter praecedentem negligentiam in adhibendo aliquo remedio memoriae idque secundum rei gravitatem et rigorem obligationis et probabilitatem futurae oblivionis. Quod si nunquam venerit in mentem obligatio audiendi Sacrum nec obligatio adhidendi remedium quo suo tempore veniret in memoriam vel quo sciretur obligatio, tunc nullum erit peccatum, quia non poterit voluntas velle quod nec formaliter nec virtualiter cognitum est. Difficultas vero praesentis quaestioneis praecipue est de actu voluntatis in quo formaliter est ratio peccati.

Sit igitur 1<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Physice possibilis est pura omissio culpabilis sine ullo actu voluntatis.* PROBATUR, quia si quis sciret sibi praeceptum esse audiendi Sacrum et possit velle audire et velle non audire, adhuc tamen nulla ratio est quae necessitatem imponat eliciendi aliquem actum, sed manet adhuc libera voluntas tam quoad exercitium quam quoad specificationem et non solum quoad actum directe versantem circa omissionem, sed etiam quoad omnem actum incompossibilem auditioni sacrae; ergo ille homo adhuc physice potest nullum actum voluntatis elicere, qui directe aut indirecte pertineat ad audiendum Sacrum. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia praeceptum quo scimus nobis esse impositum in hac vita non affert necessitatem operandi, nam si alicuius operationis afferretur, maxime implendi praeceptum, quam experimur non afferre. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia si occurrat menti actio quae non est pracepta, possumus sine ullo actu voluntatis illam omittere: ergo similiter si concurrat actio pracepta. CONFIRMATUR 3<sup>a</sup>, quia nullum dabitur sufficiens principium quod necessitatem afferat voluntati ut proposito sibi aliquo pracepto non possit non operari

circa illud. CONFIRMATUR 4<sup>a</sup>, quia saltem quando invincibiliter erras existimans tibi nihil esse paeceptum, non minus poteris omittere sine reali actu quam si vere nihil esset paeceptum.

Habemus igitur physice possibilem esse omissionem sine ullo actu, quamvis cognoscatur paeceptum. Atque hae rationes probant possibilem esse naturaliter —nam de potentia absoluta Dei clarum est non implicare contradictionem— ita praeparatum esse divinum concursum ad volitionem audiendi sacrum ut tamen Deus decreverit nullo modo concurrere ad realem volitionem omittendi sacrum, manente tamen libertate contradictionis circa volitiones audiendi sacrum. Quo casu qui omitteret, sine ullo actu omitteret. Nunc probatur praedictas omissiones esse culpables, tum quia liberae sunt, supposuimus enim hominem potuisse operari et non fuisse operatum, tum etiam quia sunt contra rectam rationem obe[f.159v]dientiae, directe enim contradicunt paecepto affirmativo, ac denique quia secundum rectam rationem huiusmodi omissiones interpretamur ac si positivo actu vellet quis omittere. CONFIRMATUR, quia in his omissionibus verificantur verba Christi Dni. Lc 12,[47] *servus sciens voluntatem Domini sui et non faciens, vapulabit multis;* et Iacobi 4,[17] *scienti bonum et non facienti peccatum est ei.*

Hae rationes non solum probant esse possibile peccatum omissionis sine volitione directe intendente omissionem, sed etiam sine actu aliquo voluntatis qui sit causa vel occasio omissionis, ut magis expresse docent inter citatos Ricardus, Carthusianus et Aegydius.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Vix probabile est moraliter rem paeceptam et cognitam ut talem sine aliquo actu reali voluntatis.* Hanc conclusionem explicatam ut supra, intendit D. Thomas q.71, a.5<sup>107</sup>, et docent plerique iuniores. Et ratio est, quia res paecepta valde pertinet ad voluntatem et conscientia acriter inspirat et rei gravitas urget, et propterea suspendere actum omnem difficillimum est, praesertim quia si homo studeat suspendere actum eo ipso elicit actum circa suspensionem, et quia saepe ignorat homo

---

<sup>107</sup> THOMAS AQ., *Summa theol.*, 1.2., q.71, a.5: ed.leon., 7, 7s.

utrum actum habeat circa suspensionem. CONFIRMATUR, quia fere numquam omittitur praceptum nisi propter aliquod bonum quod actualiter amat magis quam praceptum. Hic positivus actus qui omissionem comitatur duobus modis contingit: 1<sup>o</sup> eligendo directe omissionem rei praceptae; 2<sup>o</sup> modo indirecte, idque rursus duobus modis: 1<sup>o</sup> quia voluntas amat aliquid incompossibile, ut ludere vel studere in tempore audiendi sacrum vel amat quietem et libertatem ab omni executione obligationis et detestatur omnem laborem; 2<sup>o</sup> modo quia amat voluntas aliquid ex quo moraliter sequitur omissio, ut plurimum, ut si ludens ducas insomnem totam noctem, unde ut plurimum sequitur dormire tempore audiendi sacram.

*3<sup>a</sup> CONCLUSIO: si forte, in aliquo sciente praceptum datur pura omissio, datur in homine adeo perduto et obliito suae salutis ut illum nihil prorsus moveat ratio pracepti, ac si ad eum non pertineret, et in homine valde segni et veluti dormitante quem vix irritet cognitio ad operandum.*

*4<sup>a</sup> CONCLUSIO: in homine existimante culpabiliter sibi non esse praceptum aliquid, dabitur saepe pura omissio sicut dantur purae omissiones eorum quae non sunt pracepta.*

[f.160] Ad argumenta initio posita, RESPONDEO ad 1<sup>um</sup>: D. Thomas, q.71, a.1 ad 2 respondet ex Aristotele, 3 *Ethicorum*, cap. 5<sup>108</sup>, in omissione esse actum interpretativum, quia nihil reale est, sed solum ens rationis cum fundamento in re, scilicet secundum rectam rationem hanc parentiam actus pracepti ita esse imputandam homini ac si positive voluisse non implere praceptum, idque quia bene potuit implere et tenebatur et non implevit. Nec mirum est in re morali plurimum valere huhiusmodi entia rationis fundata in rebus ad praemium vel ad poenam, praesertim autem ad poenam quae respicit culpam, cuius essentia consistit in privatione et supponit libertatem quae in ipso actu est denominatio extrinseca a potentia. Ad 1<sup>am</sup> confirmationem, RESPONDEO omissionem esse voluntariam interpretative. Ad 2<sup>am</sup> confirmationem, RESPONDEO esse discrimen inter intellectum et voluntatem quia intellectus non est liber ad operandum et non

---

<sup>108</sup> ARISTOTELES, *Ethica ad Nicomachum*, 1.3, c.5: Basilea 1563, cols.52s.

operandum, sed quando non operatur, propterea non operatur quia non potest operari cum iis circumstantiis quas in praesenti habet et propterea non potest illi imputari ad culpam quod non operetur.

Ad 3<sup>am</sup> confirmationem RESPONDEO 1<sup>o</sup>: quandoque peccatum est cessare ab actu intellectus sine ullo actu positivo voluntatis solummodo ex eo quod deberet et posset voluntas imperare intellectum ut aliquas rationes discuteret, et non imperat; at vero voluntas, sicut peccato commissionis peccat per suum actum formaliter et praecesse, et intellectus non peccat nisi in quantum movetur a libera voluntate, ita etiam voluntas peccat omissione per suam cessationem ab actu praecise; at vero intellectus non nisi in quantum sua cessatio imperatur a voluntate.

Ad 2 RESPONDEO in omissione reperiri communiter conversionem ad creaturam, non realem et formalem, sed interpretativam quatenus cognoscente intellectu paecepti obligationem et aliquam delectationem aut quietem quam impedit paeceptum, nihilominus voluntas non vult implere paeceptum; quod interpretative est potius eligere illam delectationem aut quietem. Sed quid si aliquis nihili faciat paecepta Dei et propterea opus non sit eius voluntatem retrahi ab alio bono ne velit implere paecepta praesertim quia omissio rei non paeceptae contingit saepe sine ullo fine formaliter nec interpretative volito. RESPONDEO: etiam quando omissio nullum habet finem interpretativum praeter ipsam omissionem, datur in illa inordinata conversio ad creaturam scilicet ad ipsam volitionem interpretativam omittendi, quae anteponitur paecepto divino.

[f.160v] Ad 3 RESPONDEO quando aliquis advertit se teneri paecepto, nihilominus physice potest nullum actum elicere circa paeceptum. Praeterea culpabiliter non advertit, nihilominus virtualiter cognoscit suam obligationem, ut dictum est ante primam conclusioonem.

Ad 4 RESPONDEO negari sequelam, quia omissio actualis distinguitur a reatu eiusdem, quia illa reddit hominem dignum odio Dei quasi quidam actus interpretativus; at vero reatus illius non est actus, sed illa dignitas odii Dei quae habitualiter remanet post praeteritum actum interpretativum.

Ad 5 NEGATUR consequentia, quia malum ex quocumque defectu, bonum autem ex integra causa; et ideo plus requiritur ad meritum quam ad demeritum. Sed de hoc disputandum est in sequenti appendice.

Ad 6 DISTINGUO antecedens, quia non est necessarium aliquid ens positivum ex quo necessario resultet haec negatio, idque propterea quia ipsa negatio in se praecise est libera, nec mirum est hoc distingui hanc negationem a reliquis omnibus negationibus actionum in subiecto, sicut etiam actus humanus, quia liber est, hoc distinguitur a reliquis actionibus, quod non resultat necessarium ex aliquo ente praesupposito. At vero haec negatio reducitur interpretative ad positivum, quia moraliter perinde est ac si quis positive vellet omittere. Ad confirmationem RESPONDEO: ad positive amandum aliquid requiritur aliqua ratio boni propter quam ametur; at vero ut libere non ametur aliquid non requiritur ratio bonitatis in non amando, sed satis est eam bonitatem quae ad amandum inclinat non necessitare sed relinquere voluntatem liberam. RESPONDEO praeterea, aliquando reperiri in pura omissione finem interpretative amatum ut dicetur in appendice.

Ad 7 RESPONDEO: quidam existimant mera cessatione actuum corrupti habitus. Ita Scotus, 4, d.14, q.1<sup>109</sup>; Gabriel, 3, d.23, q.1, a.3, dub.6<sup>110</sup>; additio ad Almainum, in tractatu 1 Moralium, c.18<sup>111</sup>; et magis ex professo Medina<sup>112</sup> et Zumel, supra q.71, a.5<sup>113</sup>; et Valentia, 1.2., d.4, q.5, puncto 2, dub.2<sup>114</sup>. Quamvis hi Doctores dissentiant in fundamentis.

Nam Scotus et Gabriel existimant ideo destrui habitum per cessationem ab actibus, quia diuturna illorum conservatio exigit repetitos actus ut causam efficientem. Medina et Zumel existimant

<sup>109</sup> J. SCOTUS, *Quaestiones in quartum librum Sententiarum*, d.14, q.1: Paris, ed. Vivès, t.18 (1894) p.13a.

<sup>110</sup> G. BIEL, *Collectorium...*, 3, d.23, q.1, a.3, dub.6: ed.c. 3, 400s.

<sup>111</sup> J. ALMAIN, *Moralium*, l.1, c.18, [in additione]: Paris 1526, f.41.

<sup>112</sup> Véase nota 103.

<sup>113</sup> F. ZUMEL, *In primam secundae Sti. Thome commentarius*, q.71, a.5, disp.2: Salamanca 1594, pp.65–70.

<sup>114</sup> G. DE VALENTIA, o.c., In 1.2., d.4, q.5, puncto 2, dub.2: ed.c., t.2, col.420s.

cessatione actuum virtutis produci habitum vitii directe contrarium, et propterea expelli habitum virtutis. Sed Valentia exist[<sup>f.161</sup>]mat expelli habitum virtutis introductione aliorum habitum qui quamvis non sint contrarii illi virtuti sunt tamen disparati et replet capacitatem potentiae sicut eam replet actus quamvis sint disparati.

Hoc fundamentum Valentiae, quamvis verum esset, non probaret mera omissione destrui habitum per se et directe, sed per accidens; quod nos, ex alio fundamento, concedemus. Insuper non semper cessatione actuum destrueretur habitus, nam quando pauci habitus essent in potentia et lente acquirerentur alii habitus, diu duraret cessatio ab actibus unius virtutis antequam repleretur capacitas potentiae. E contra vero, si crebro omnes habitus exercerentur succesive etiam si essent multi, manere possent; ergo potentia capax est illorum ac proinde manerent licet ab actibus cessaretur. Ac denique ex terminis constat actus quoad suam conservationem pendere a potentia alio modo quam habitus, et propterea constat simul esse in potentia plures habitus quorum actus non possunt esse simul in potentia. De fundamentis aliorum Doctorum constabit ex nostra resolutione.

Igitur DICENDUM est *mera omissione actuum non corrumpi habitus*. Ita docet expresse D. Thomas, 1.2., q.53, a.3<sup>115</sup>, dum ait cessatione ab actibus non corrumpi habitum nisi ut a causa per accidens et removente prohibens, quatenus dum cessatur diu ab actibus succrescent passiones et ex illis inclinatur homo ad actus contrarios quibus contrarii habitus generantur. Et secundum hoc intelligendum est quod asserit D. Thomas, 2.2., q.24, a.10<sup>116</sup>. Eandem sententiam tenet Almain 1<sup>a</sup> *Moralium*, c.18<sup>117</sup>, ex Occamo; Henricus, quodlibeto 5, q.18<sup>118</sup>; Maior, in 3, q.7<sup>119</sup>;

<sup>115</sup> THOMAS AQ., *Summa*, 1.2., q.53, a.3: ed. leon. 6,339.

<sup>116</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 2.2., q.24, a.10: ed. leon. 8, 192

<sup>117</sup> J. ALMAIN, *Moralium*, 1.1, c.18: ed.c., f.40v.

<sup>118</sup> HENRICUS A GANDAVO, *Quodlibeta*, quodl.5, q.18: Paris 1518, f.194 F.

<sup>119</sup> J. MAIOR, *In tertium librum Sententiarum*, El comentario de Maior al tercer libro de las Sentencias, no hemos podido encontrarlo entre las ediciones que hemos podido consultar.

Capreolus<sup>120</sup> et Deza, in 3, d.23, q.1<sup>121</sup>; valde consonat Caietanus, in eaden q.24, a.6<sup>122</sup> explicans quomodo per actus remissos remittatur habitus quatenus insurgunt passiones et actus contrarii.

PROBATUR, quia si mera et praecissa cessatio ab actibus sufficeret corrumpere habitus, inciperet minui habitus ab ipso instanti quo cessabit quis et semper successive remitteretur, sive in somno sive in vigilia. Non enim est maior ratio propter quam ab hoc tempore incipiat minui quam ab illo, et quia qua ratione per breve tempus nihil obest cessatio mera ita nec per longum. CONFIRMATUR, quia nihil destruitur nisi sublata causa necessaria ad illius conservationem vel posito contrario; sed actus non est causa necessaria ad conservationem habitus, siquidem aliquo tempore salten brevi existit habitus sine actu; ergo. CONFIRMATUR 2º quia pura omissio non potest inducere habitus contrarios, ut praeter citatos [f.161v] docet Durandus, 3, d.23, q.2<sup>123</sup>. Et probatur, quia ad effectum realem requiritur realem esse vim in causa efficienti.

Quod si experimur ex omissionibus generari in nobis habitus malos et corrumpi bonos id propterea fit quia raro aut nunquam habemus puras omissiones, sed actus reales et positivos quibus volumus omittere, ut dixi in 2 conclusione et quia habemus saltem deliberatos actus primo primos vel in somnis contrarios virtuti qui generant habitus contrarios.

Deinde, quod ait Aristoteles, 2 *Ethicorum*, c.2<sup>124</sup>, non tantum ex superatione sed etiam ex defectu virtutes destrui, videtur intelligendum de vitiis per superabundantium et defectum,

<sup>120</sup> J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologiae divi Thomae Aquinatis in secundo Sententiarum*, d.35, q.1, a.1, concl.2: ed. Tours, 1903, t.4, 409a; § 2, contra 2<sup>am</sup> conclusionem: ibid. p.412b; 3, d.23, q.un., II, ad 4: Tours 1904, t.3, 303s.

<sup>121</sup> D. DDE DEZA, *Novae Defensiones beati Thomae de Aquino*, Super tertio libro Sententiarum, d.23, q.1: Sevilla 1517, f.89v.

<sup>122</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa...*, 2.2., q.24, a.6: ed.leon.op. Sti. Thomae, 8, 181.

<sup>123</sup> DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias theologicas Petri Lombardi commentariorum libri quatuor*, 3, d.33, q.2, n.6s: ed.c., f.272.

<sup>124</sup> ARISTOTELES, *Ethica*, 1.2, c.2: Basilea 1563, 2, col.31s.

cuiusmodi sunt prodigalitas et avaritia quae positivos actus habent. Verumtamen si Aristoteles nomine defectu intelligat omissionem, forte vult omissione per accidens destrui habitus virtutis, ut nuper explicuimus. Eodem modo intelligendum est quod D. Thomas cum Aristotele asserit, 1.2., q.53, a.1<sup>125</sup>. Scientiam non tamen destrui per errorem, sed etiam per oblivionem, quae est cessatio ab actibus. Sed praeterea huius rei potest esse alia ratio, quia species corporeae requisitae in phantasia ad exercitium scientiae destruuntur destructo illarum subiecto corporeo per continuam actionem caloris naturalis et nisi aliae similes species excitentur repetendo actus scientiae deficit aliquid requisitum ut habitus scientiae prodeat in actum, quam rationem insinuat D. Thomas ibi.

## Appendix

### **Utrum possit esse bona et meritoria omissio pura sine ullo actu voluntatis**

Dicendum erit prius de bonitate morali quae fundamentum est cuiusdam naturalis meriti.

**1<sup>a</sup>** sententia asserit quamcumque omissionem actus prohibiti esse honestam et naturaliter meritoriam, nisi aliunde vitietur.

PROBATUR 1<sup>a</sup>, quia non violare praeceptum ex se est honestum. CONFIRMATUR 1<sup>a</sup>, quia morali interpretatione idem est ac si quis haberet positivam volitionem non violandi praeceptum cuius motivum esset sola honestas non violandi praeceptum. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia saepe laudatur haec omissio in Sacra Scriptura, et est valde difficilis.

**2<sup>um</sup>** ARGUMENTUM est, quia si aliqua omissio actionis prohibitae caret bonitate morali illa maxime caret quae habet rationes boni delectabilis propositas ab intellectu ad cohibendam voluntatem ab actione prohibita et praesertim in homine qui alioqui nisi proponerentur illi rationes delectabiles in contrarium, committeret actionem prohibitam; sed etiam in [f.162] tali homine

---

<sup>125</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 1.2., q.53, a.1: ed.leon. 6, 337s.

omissio est ab intriseco bona licet habeat extrinsecam malitiam, quod probant, quia illa omissio non habet ab intrinseco nisi propriam rationem scilicet omittere actionem prohibitam quia prohibita est quamvis ab extrinseco adiunctas habeat rationes. Medina idem explicat exemplo actus positivi qui est ab intrinseco bonus et ad illud eliciendum impulit alias actus malus; id possibile esse colligitur ex dictis in q.18, a.4.

3<sup>um</sup> ARGUMENTUM est, quia si purae omissiones haberent finem interpretativa distinguerentur penes fines; unde non omnes omissiones purae eiusdem actus praecepti essent peccata eiusdem speciei.

2<sup>a</sup> sententia asserit nullam omissionem puram esse honestam nec capacem naturalis meriti. PROBATUR 1<sup>o</sup>, quia nullus meretur propter illa quae potest facere, sed propter illa quae facit; sed pura omissio nihil est nisi potentia carens omni actu; ergo non est meritoria. CONFIRMATUR, quia in malis vituperatur negatio volitionis, quia inconsideratio ipsa est vituperabilis; in bonis autem, sicut non est laudabilis inconsideratio ita nec omissio volitionis.

ARGUITUR 2<sup>o</sup>, quia negatio non ponit perfectionem in voluntate; ergo nec bonitatem. Probatur consequentia, quia perfectio et bonitas convertuntur. CONFIRMATUR, quia bonum ex integra causa, malum ex singulari defectu; ac proinde licet omissio pura possit esse mala moraliter non poterit esse bona moraliter.

ARGUITUR 3<sup>o</sup>, quia nullus actus est bonus nisi motivum et finis illius sit bonus, supra q.18, a.4<sup>126</sup>; sed pura omissio nullum habet motivum bonum aut malum, nec quod formaliter et realiter moveat nec quod interpretativa moveat, nam ex plerisque motivis propositis ab intellectu nulla est ratio propter quam hoc motivum et non illud dicatur determinare ad omittendum; ergo pura omissio non est bona. Explicatur minor, quia si ad omittendum furtum proposita essent ab intellectu variae rationes quaedam pertinentes ad turpitudinem furti, aliae ad illius difficultatem vel periculum

---

<sup>126</sup> Comentario que no conocemos.

vitae aut infamiae, nulla erit ratio dicendi hunc hominem omisisse furtum propter illius turpitudinem potius quam propter timorem mortis aut infamiae quod non est virtutis.

Nihilominus sit 1<sup>a</sup> CONCLUSIO contra 2<sup>am</sup> sententiam: *Aliqua omissio actus prohibiti est bona moraliter, scilicet illa cui ratio omittendi fuit observatio paecepti, quae proposita fuit ab intellectu, ut maius bonum quam aliud sensibile bonum peccati, quod moveret volun[f.162v]tatem nisi illam contineret observatio paecepti.* PROBATUR, quia huiusmodi omissio interpretativa habet ea omnia quae habet formaliter volitio implendi paeceptum propter honestatem illius; ergo est interpretativa bona moraliter. Antecedens probatur, quia in primis habet rationem voluntarii interpretativa, nam possumus operari contra paeceptum et multa nos incitant ad operandum, et tamen libere nos continemus ab omni operatione contraria paecepto. Deinde, quod huius volitionis interpretativae finis sit bonus, probatur quia, sicut in volitione reali finis est qui determinat voluntatem, ita in volitione interpretativa illud secundum rectam rationem debemus interpretari esse finem qui determinat voluntatem ut omittat, sed quando voluntas alliciebatur utilitate, facilitate et securitate furti, et nulla alia ratio retrahebat nisi honestas iustitiae quae est in omissione furti, tunc determinativum ad non furandum fuit honestas iustitiae; ergo illam rationem debemus dicere esse interpretativa finem illius purae omissionis. Favet D. Thomas in corpore huius a.6 dicens avarus ex eodem motivo furatur aliena et non dat ea quae dare debet, quod explicatum est in dub.2, in probatione 2<sup>ec</sup> conclusionis. Unde constat, in omissione quae est peccatum dari finem interpretativum, et eadem ratione poterit dare finis interpretativus in omissione bona.

Huius conclusionis doctrina clarior et certior est in eo homine qui attentis qualitatibus animae et corporis et omnibus circumstantiis infallibiliter subriperet aliena nisi obstaret prohibitio divina; nam tunc clarior est ratio interpretandi determinativum. Nihilominus videtur etiam esse bonam omissionem furti in eo in quo ex vi circumstantiarum et dispositionum animi et corporis non esset praedicta infallibilitas dummodo esset notabiliter maior

inclinatio ad accipiemad rem alienam quam ad relinquendam ita ut ex vi circumstantiarum esset probabilius quod illam rem arriperet nisi cohiberetur divino pracepto.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Reliquae omnes omissiones actionum prohibitarum praeter dictas in conclusione 1<sup>a</sup> non sunt bonaे moraliter nec capaces naturalis meriti.* Fundamentum huius conclusionis est omissionem non esse bonam nec malam moraliter nisi in quantum est actus interpretativus, non quidem pro libito factus a nostro intellectu, sed cum fundamento in re. Rursus actum illum interpretari debemus ad modum actuum formalium [f.163] et realium.

Hinc sumitur prima ratio conclusionis quam exempli gratia conficiemus in sumendo cibo necessario ad vitam, et omittenda ingulatione sui. In hunc modum non quaelibet volitio sumendi cibum praecepsum est bona moraliter; ergo non quaelibet omissio ingulandi se ipsum est bona moraliter. Consequentia probatur, quia sicut se habet volitio realis ad cibum praecepsum, ita se habet volitio interpretativa ad ingulationem prohibitam; et sicut illa volitio non est bona quando vult sumere cibum qui est praecptus a Deo, sed non vult quia praecepsum est, sed quia delectabilis est vel quia necessarius ad vitam sine alio fine superiori; ita volitio interpretativa, licet interpretativa amet negationem ingulationis prohibite. Caeterum, non semper amat illam negationem quia prohibita est ingulatio, sed potius aliae rationes determinant voluntatem ad omittendum.

DICES esse discrimin inter praedictam volitionem positivam et omissionem, quia volitio positiva vitiatur positive et realiter eo quod vere amat ut finem ultimum delectationem cibi; hoc autem non reperitur in actu interpretativo purae omissionis. Sed contra hoc est quia ex eo quod in volitione positiva contingat aliquando amari cibum qui est praecptus et non amari ex eo quod sit praecepsum, sed ob aliud finem realiter amatum, colligitur efficaciter non esse sufficientem rationem interpretandi quod voluntas omiserit ingulationem prohibitam propterea quia est prohibita, quamvis vere omisserit ingulationem, nisi adsint aliae rationes quae ostendant voluntatem determinatam esse ad

omittendum a prohibitione cognita et ad hoc tantum adducitur comparatio; nec enim est magis connexa prohibitio cum voluntate omittendi quam praeceptum positivum cum voluntate exsequendi.

Explicatur magis 1<sup>o</sup>, quia licet omissio ingulationis prohibitae ut sic accepta habeat honestatem necessario coniunctam ex eo quod affert impletionem praecepti, ut exercetur a voluntate, quandoque hanc honestatem non continet formaliter, sed tantum materialiter et praeter intentionem operantis, quia nihil curat de implendo praecetto, sed nisi aliae rationes impedit operaretur rem prohibitam, ut explicari potest in eo qui omittit furtum difficillimum et plenum periculis cum tamen attentis habitibus animi et inclina[f.163v]tionum appetitus et exigua cognitione Dei, infallibile sit quod hic homo furaretur si tuto posset nihil curando de divino praecetto. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia aliquando voluntas interpretativa perinde se habet ac si possibilis esset volitio positiva qua quis vellet non ingulare se nullo bono motivo nec malo determinatus; sed hoc impossibile est in actibus realibus ad quos movere debet aliquis finis; nihilominus est possibile in actibus interpretativis, quia ad cesandum ab operatione non opus est motivo. CONFIRMATUR 3<sup>o</sup>, quia si aliquis ignoret invincibiliter honestatem quae prohibet ingulationem sui ipsius, ille procul dubio non habebit omissionem honestam, sicut nec qui omittit saltationem aut alium actum non prohibitum; sed multi qui omittunt ingulationem sui non magis determinantur ab honestate cognita quam si illam non cognoscerent; ergo in illis omissio non est honesta.

2<sup>o</sup> PROBATUR CONCLUSIO, quia si in qualibet omissione alicuius actus prohibiti interpretamur finem esse, quia actus est prohibitus, eadem ratione in omissione actus indifferentis qui nec est bonus nec malus interpretabimur rationem et finem esse, quia nec est bonus nec malus; unde eo ipso talis omissione mala erit et non indifferentis, quia finis cuiusque voluntatis non debet esse aliud quam bonum honestum; si autem concedas non in omni omissione interpretari posse finem, admittere poteris omissiones indifferentes, quas admittendas esse diximus q.18, a.8.

3<sup>o</sup> PROBATUR a dissimili: quia omnis omissio actus praecepti propterea mala est ab intrinseco, quia incompossibilis est cum volitione implendi praceptum; at vero omissio actus prohibiti compessibilis est ex ratione intrinseca cum contemptu positivo et absoluto prohibitionis quando actus prohibitus habet alias rationes inclinantes ad omittendum. CONFIRMATUR, quia bonum ex integra causa malum autem ex singularibus defectibus, et ideo quamvis quaelibet omissio actus praecepti sit mala, non sequitur quamlibet omissionem actus prohibiti esse bonam si desint aliae circumstantiae.

Ad argumenta 1<sup>ac</sup> sententiae RESPONDEO ad 1<sup>um</sup>: nego antecedens, et ad confirmationem similiter negatur antecedens, quia multae omissiones non habent hanc interpretativam rationem, et motivum non violandi praceptum quia praceptum est, ut probatum est in conclusione 2. Ad 2 CONFIRMATIONEM respondeo: quando laudatur omis[f.164]sio, vel laudatur positiva voluntas omittendi cuius motivum sit implere praceptum vel laudatur omissionis pura cuius interpretativus finis sit impletio praecepti, modo explicato in conclusiones 1<sup>a</sup>.

Ad 2<sup>um</sup> argumentum, respondeo illam omissionem non habere ab intrinsecō ordinem ad prohibitionem tanquam ad rationem et motivum, nec possumus hoc interpretari cum fundamento in re; quare non bene comparatur volitioni bonaē quae imperetur ab alia volitione mala, sed melius comparatur volitioni quae ex obiecto materiali bona est, et ex fine et motivo intriseco est mala.

Ad 3<sup>um</sup> respondeo: omnia peccata omissionis quibus omittitur idem actus praceptus habent unam speciem pure moralem desumptam ex privatione praedicti actus; nihilominus eadem peccata quandoque habent simul alias species quasi physicas desumptas a diversis finibus interpretativis, sicut dictum est de peccatis commissionis, supra, a.1.

Ad argumenta 2<sup>ac</sup> sententiae RESPONDEO ad 1<sup>um</sup> negando minorem; nam pura omissionis est actus interpretativus et per illam merito censetur homo non solum posse, sed etiam de facto facere; et alioqui eodem argumento probaretur nullam omissionem puram

esse peccatum. Ad confirmationem, negatur causalis, imo licet nulla sit inconsideratio adhuc omissio boni debiti est vituperabilis.

Ad 2<sup>um</sup> RESPONDEO: negatio non ponit in voluntate realem perfectionem et bonitatem; ponit tamen interpretativam. Ad confirmationem RESPONDEO: quando omissio habet interpretative conditiones positas in conclusione 1, habet interpretative integrum bonitatis causam.

Ad 3 RESPONDEO: ex conclusione 1<sup>a</sup> constat in quibusdam omissionibus rationem esse propter quam interpretemur hunc hominem propter motivum virtutis omisisse actionem prohibitam, fateor tamen quandoque non esse maiorem rationem interpretandi quod hoc motivo aut illo determinatus fuerit vel utroque collective, et tunc si inter motiva quae intellectui proponit reperitur aliquod non habens honestatem, sed tantum bonitatem sensibilem tota omissio non erit interpretativa bona, ut non esset realiter bonus actus qui propter plures fines eliceretur quorum aliquis non esset honestus sive illi fines acciperentur distinctive sive copulative et complexive, dummodo unus non amaretur independenter ab alio. Et de naturali bonitate et merito hactenus.

### Circa meritum supernaturale

1<sup>a</sup> sententia asserit ad illud non sufficere puram omissionem actus prohibiti in homine [f.164v] existente in gratia. Ita Holcot, 1, q.2, a.4 circa finem, et a.6<sup>127</sup>; et Vega, De iustificatione, q.4, quamvis prius videatur docere oppositum<sup>128</sup>; et Castro, v. Opera, haeresi 4 nihil determinat<sup>129</sup>.

Haec sententia eam probabilitatem habet quam habent opiniones dicentium actus naturales qui sunt boni moraliter esse meritorios si homo existat in gratia, vel si quadam relatione

<sup>127</sup> R. HOLKOT, *In quatuor libros Sententiarum quaestiones argutissimae*, 1.1, q.2, a.4 y a.6: Lyon 1518, s/f.

<sup>128</sup> A. VEGA, *Opusculum, non solum de iustificatione...*, q.4: Colonia 1572, pág.780a.

<sup>129</sup> ALFONSO DE CASTRO, *Adversus omnes haereses*, v. opera, haeresis 4: Madrid 1773, tomus primus, p. 372bA.

extrinseca referantur ad finem caritatis per alium actum supernaturalem in principio diei elicito vel durantem nescio qua habituali duratione; de quo dicendum erit in materia de gratia.

Secunda sententia probabilior asserit puram omissionem numquam esse meritoriam praemii supernaturalis. Ita D. Thomas, supra, q.71, a.5 ad <sup>130</sup>; D. Antoninus, 1 p., tit.7, c.2, § 3<sup>131</sup>; Durandus, 2, d.35, q.2, fine<sup>132</sup>; Ricardus, eadem d., a.1, q.1, fine<sup>133</sup>; et Aegidius, q.1, a.2 versus finem<sup>134</sup>; Altissiodorensis in Summa, libr.2, tract.29, cap.2, q.1<sup>135</sup>; Almain, 3, d.18, q.1<sup>136</sup>, cum Dionysio; Maior, 3, d.18, q.1 et 4, d.42, q.2 ad 4<sup>137</sup>; Medina, q.71, a.5<sup>138</sup>; Henricus, lib.2 de poenitentia, cap.5, n.5<sup>139</sup>.

Huius opinionis fundamentum est quia in materia de gratia abilior est opinio asserens ad meritum non sufficere actum esse bonum et hominem esse gratum, sed praeterea requiritur ut actus supernaturalis vel saltem actuali relatione supranaturali imperetur et referatur ad finem supernaturalem; hoc autem constat reperiri non posse in pura omissione, quia illa non imperatur actualiter ab aliquo actu supernaturali alioqui iam non est pura omissio, quia actus imperans omissionem vult omissionem.

Sed DICET aliquis: si homo ita sit animo et corpore dispositus secundum passiones et habitus inherentes ut infallibiliter furaretur

<sup>130</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 1.2., q.71, a.5 ad 1: ed. leon., 7,129b.

<sup>131</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.7, c.2, § 3: ed.c. f.93a.

<sup>132</sup> DURANDUS A STO. PORTIANO, *In sententias theologicas Petri Lombardi...* 2, d.35, q.2, n.10: ed. c. f.191.

<sup>133</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.35, a.1, q.1, ad 6: Brujas 1591, t.2, p.430.

<sup>134</sup> AEGIDIUS A COLUMNA ROMANUS, *In secundum librum Sententiarum quaestiones*, d.35, q.1, a.2 ad 2: ed.c., p.519bc.

<sup>135</sup> GUILIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tr.29, c.2, q.1: Paris, s/d, fol.104b.

<sup>136</sup> No hemos podido verificar esta cita.

<sup>137</sup> J. MAIOR, *In Secundum librum Sententiarum*, d.42, q.3: ed.c., f.157v a-b. Sobre el comentario al libro 3 de las Sentencias, véase la nota 119.

<sup>138</sup> B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae...*, q.71, a.5: Venecia 1602, pp.360s.

<sup>139</sup> Véase nota 118.

nisi illi proponeret intellectus rationes supernaturales, ille interpretativa censemur agere propter supernaturalem finem quando omittit furtum, secundum dicta in conclusione 1 et 2; ergo illa omissio erit capax meriti supernaturalis. RESPONDEO, concessa maiori et minori, negando consequentiam, quia quamvis illa actio interpretativa habeat supernaturalem finem interpretativa, sed hoc non sufficit ut sit supernaturalis; multae namque actiones quae versantur circa obiecta et fines supernaturales sunt naturales secundum entitatem intrinsecam, quia productae sunt a sola voluntate sine concursu habitus supernaturalis, et non video sufficientem rationem interpretandi quod habitus supernaturalis concurrat ad omissionem, quia concursus habitus est realis nec concurrit ad omittendam unam actionem nisi inclinando ad eliciendam actionem contrariam. Nihilominus via quae hoc argumento aperitur aliquid probabilitatis affert opinioni dicenti meritoriam esse omissionem puram.

Hic notandum est in Deo nullam prorsus dari omissionem sine actu, nam sicut ad perfectionem [f.165] Dei pertinet nullam esse imaginabilem propositionem de qua non iudicet actu et positive esse veram aut falsam, ita nihil est imaginable de quo divina voluntas non determinet positive facere aut non facere illud.

#### Dubitatur 4

#### Utrum omnis actus incompossibilis actui praecepto sit peccatum

Exemplum est si studeas quando deberes audire Sacrum.

Affirmare videtur Henricus, *Quodlibeto* 12, q.24<sup>140</sup>; Capreolus, 2, d.35, a.3 ad 2<sup>141</sup>; Durandus, contra secundam conclu-

<sup>140</sup> HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, 12, q.24: Paris 1518 (repr. Lovaina 1961), fol.500.

<sup>141</sup> J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologicae*, 2, d.35, a.3 ad 2: Tours 1903,

sionem<sup>142</sup>; Valencia, 1.2., disp. 6, q.1, puncto.4<sup>143</sup>; faveit D. Thomas, De malo, q.2, a.1 ad 7<sup>144</sup>, ubi ait laudare Deum quo tempore aliud est praeceptum, malum esse: et idem videtur docere, supra, q.19, a.2 ad 1<sup>145</sup>. PROBATUR, 1<sup>o</sup> quia illi actui deficit circumstantia temporis. 2<sup>o</sup>, quia quicumque praecipit aliquod opus eo ipso prohibet omnem actum incompossibilem operi pracepto.

2<sup>a</sup> opinio absolute negat huiusmodi actum esse malum ex hoc capite, nisi aliunde sit malus. Ita videtur sentire Durandus, 2, d.36, q.2, n.6<sup>146</sup>. Sed ibi tantum loquitur de actu exteriori, non de volitione rei incompossibilis. Eadem opinio tribuitur Hervaeo, Quodlibeto 7, q.25<sup>147</sup>. Fundamentum est quia talis actus ex se est malus, nec prohibitus eo tempore; nullum enim praeceptum est quo studium in die festo prohibitum sit. CONFIRMATUR, quia praeceptum audiendi sacrum est determinatum; ergo non prohibet plurimos actus indeterminatos quales sunt dormire, ludere, studere, etc.

Pro decisione suppono peccatum esse illum actum incompossibilem actui pracepto qui est volitio non explendi praeceptum. Dubium autem est quando quis directe intendit studere et explicite et directe nihil decernit circa audiendum sacrum.

Sit 1<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Si voluntas studendi sit causa omittendi sacram tunc voluntas studendi et ipsum studium erit peccatum mortale.* Ita sentiunt non solum Doctores primae sententiae, sed etiam Alexander quem refert et sequitur Gabriel, 2, d.41, q.un. versus finem<sup>148</sup>; Henricus, Quodlibeto 12, q.24<sup>149</sup>; Ricardus, 2,

p.417b 418a.

<sup>142</sup> DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi*, 2, d.35, q.2: Amberes 1566, fol.190(bis)a, n.4.

<sup>143</sup> G. DE VALENCIA, *Commentarii theologici*, d.6, q.1, punc.4: lyon 1603, 2. cols. 540ss.

<sup>144</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.1, 7 y ad 7: ed leon. 23, 28b y 30b.

<sup>145</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 1.2., q.19, a.2 ad 1: ed. leon. 6, 143.

<sup>146</sup> DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Sententias Theologicas Petri Lombardi*, 2, d.35, q.2: Amberes 1566, fol.190(bis)a, n.6.

<sup>147</sup> No hemos podido encontrar esta cita.

<sup>148</sup> G. BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.41, q.un., dub.3:

causa omissionis sacri, sed potius aliquo modo est effectus omissionis secundum rationem posterior omissione. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia ex eo quod studium incompossible sit auditioni sacri, quamvis recte colligatur ab studio posse causari omissionem sacri, male tamen colligitur de facto causari; nam etiam in rebus physi-  
cis incompossible aliquando non causat absentiam illius entis cui  
est incompossible si praesupponit causam sufficientem illius  
absentiae; sicut aer incompossibilis est aquae in eodem vase et  
tamen si vas aliquod per vim submergas infra aquam sed operiens  
os illius ne impleatur aqua: aerem manere intra vas non erit causa,  
sed potius effectus absentiae aquae, quia tunc in vase permanet aer  
ne detur [vacuum] et statim prosiliret sursum si pateret aditus  
aqua. Simile est etiam in tenebris quorum causa nullo modo est  
corpus opacum superveniens absentiae solis quamvis idem corpus  
opacum sufficeret causare tenebras etiam si sol adesset. CONFIR-  
MATUR 3<sup>a</sup>, quia si aliquis me invitum impedit ab audiendo sacro,  
licite ego eo tempore studeo et illud studium non censem esse  
causa omittendi sacrum quamvis illi sit incompossible non minus  
quam studium in casu conclusionis. Et huius ratio non est alia nisi  
quia tunc voluntas studendi supponit non esse audiendum sacrum  
et quod hoc sit mihi voluntarium aut involuntarium impertinens est  
ad eum finem ut voluntas praedicta studendi includat volitionem  
omittendi, quia voluntas studendi in casu conclusionis non minus  
supponit omissionem quam si aliena voluntate causaretur omissio.  
CONFIRMATUR 4<sup>a</sup>, quia illa circumstantia temporis non est mala ut  
tempus tale est, sed solum potest esse mala eo quod impediatur  
sacrum praeceptum; sed non impeditur ut probatum est; ergo non  
est mala.

Sed DICES 1<sup>a</sup>: quamvis Petrus decreverit non audire sacrum et  
hoc supposito studeat ne sit otiosus, et tamen studium cooperatur  
illi omissioni; ergo peccatum. PROBATUR consequentia a simili,  
quia si Petrus decrevisset furari quamvis illi non deessent plures  
alii socii et adiutores, nihilominus quicumque ad furandum iuvaret  
reus esset furti. RESPONDEO: studium nullo modo cooperatur  
omissioni sacri [f.166v] licet enim studium incompossible sit cum  
impletione praecepti, sed nullo modo causat omissionem ut nuper  
probatum est et quod nullo modo causat nullo modo cooperatur.

DICES 2<sup>o</sup>: saltem erit causa conservans illius omissionis licet illam non inducat de novo. RESPONDEO non esse causam conservantem, quia ex vi decreti voluntatis studium non est ratio propter quam conservatur omissio sacri sed potius est contra, quia conservatur decretum non audiendi sacrum quamdiu defuerit praedictus ornatus, ideo manet tempus liberum ut in eo studere possis. Hinc colligi potest modus quo possit studium non esse causam omissionis quamvis non praecedat volitio formalis et directa omittendi, sed sit pura omissio sine actu, scilicet, quando ita quis vult studium ut non anteponat studium impletioni praecepti nec moveatur ab studio ad omissionem, sed elicit et continuat actum studii cum eadem appretiatione ac si non interveniret praeceptum et aliunde non curat de pracepto sibi imposito. CONFIRMATUR, quia non affertur sufficiens ratio repugnantiae physicae propter quam non possit illa volitio versari circa studium eadem appretiatione ac si esset elicita volitio directa non audiendi sacrum. Nam quod aliqui obiiciunt omnem omis-sionem reduci posse ad aliquem actum, reiectum est in dubio praecedenti.

DICES 3<sup>o</sup>: licet volitio omittendi aut conservandi omissionem prior sit quam volitio studendi, nihilominus volitio studendi prior est quam omissio sacri quae est obiectum voluntatis et quasi actus exterior; ergo haec omissio est voluntaria in studio volito. RESPONDEO negando antecedens, nam omissio ut est obiectum et actus externus, sufficientissime causatur a volitione omittendi omnino independenter ab studio, ita ut omissio esset ex vi praesentis volitionis etsi non esset studium et tamen ex vi praesentis volitionis studium non esset si non supponeretur ex alia causa omissio sacri.

2<sup>o</sup> PROBATUR conclusio, quia non est volitum votum nisi substantia rei quae promittitur bona sit; at vero validum esset votum illius hominis quo se obligaret ad studendum quandocumque omitteret sacrum ex alia ratione; ergo bonum est illud studium. CONFIRMATUR, quia studium potuisset consulere vir pius cui constaret nihil profuturum consilium audiendi sacrum et profuturum consilium studendi et posset eidem studio cooperari docendo eundem hominem nec hoc foret consulendo recessum a

maiori malo, sed consulendo actionem studii ex suppositione omissionis sacrae.

[f.167] Alii PROBANT, quia nullus confesarius accusantem se de omissione sacri interrogaret qua occupatione interim fuerit detentus. SED hoc argumentum probaret etiam studium quod est causa omittendi non esse peccatum, contra 1<sup>am</sup> conclusionem, et praeterea nihil probat argumentum, quia quamvis studium sit peccatum, non habet malitiam diversam ab omissione sacri, ut dicetur in dubio sequenti. Quapropter non est necessario explicanda in confessione, quia aliunde non auget notabiliter gravitatem culpae.

Sed ut explicetur magis secunda conclusio OBIICIO, quia si studere non est peccatum mortale in dicto casu, ergo eadem ratione postquam sacerdos decrevit non recitare officium non erit peccatum mortale proiicere librum in mare, et illi qui decrevit non servare votum castitatis non erit peccatum mortale contrahere matrimonium, et illi qui decrevit non restituere non erit peccatum mortale dilapidare facultates quibus restituere posset, quae omnia falsa sunt. RESPONDEO negando sequelam, nam proiectio breviarii in mare, licet in eo casu non sit causa omissionis praecedentis est tamen moraliter causa omissionis sequentis, quia ille sacerdos potest revocare decretum omittendi officium divinum, quod si revocaverit persolvet divinum officium si librum habuerit, quo si careat non persolvet. Similiter respondeo in duobus aliis casibus et in omnibus aliis in quibus actio quae repugnat rei praeceptae auffert ab homine potestatem implendi praeceptum quamvis revocet suum dcretum.

INSTABIS: postquam quis decrevit non audire sacrum novum peccatum erit si dormire velit, nam somnus auffert potestatem revocandi decretum. RESPONDEO concedendo consequentiam nisi fuerit moraliter certum eum hominem si vigilet non revocaturum esse decretum: tunc enim non censem moraliter alicuius momenti esse maior impossibilitas quae additur ex somno.

Ad argumenta in principio proposita RESPONDEO ad 1<sup>um</sup>: tempus ille nihil mali habet nisi ex adiuncta omissione audiendi sacrum et quando in actu est volita haec omissio saltem indirecte;

tunc circumstantia temporis dabit malitiam et alioqui non dabit, ut supra in conclusione 2.

Ad 2<sup>um</sup> RESPONDEO: praeceptum alicuius actus prohibet omnem actum incompossibilem ea solum ratione qua actus incompossibilis causare potest omissionem actus praecepti, at vero ex suppositione omissionis iam factae nullus actus est prohibitus, ut supra dictum est.

Hinc constat solutio ad fundamentum secundae sententiae, scilicet, praecepto determinato prohibetur omnis actio [f.167v] sive determinata sive indeterminata quae incompossibilis fuerit rei praeceptae et causaverit illius omissionem. Quod intelligendum est nisi actio illa incompossibilis propter suam necessitatem vel utilitatem excuset a praecepto; de quo infra, dubio 8.

### Dubitatur 5<sup>a</sup>

#### Utrum ille actus positivus qui est causa vel occasio omissionis sit peccatum diversum ab omissione

Non quaeritur de aliis actibus incompossibilibus praecepto quae non sunt causa nec occasio omissionis, quia iam in dubio praecedenti constat non esse peccatum. Claritatis causa loquar de voluntate studendi ex qua sequitur omissio sacri.

Henricus, quodlibeto 12, q.24<sup>156</sup>, existimat actum qui est causa omissionis esse peccatum diversum ab omissione. Idem videntur sentire Ricardus 2, d.42, a.1, q.1<sup>157</sup>; Marsilius 2, q.21, a.3, concl.4<sup>158</sup>, tribuit Gabrieli 2, d.41, a.3, dub.3, sed non

<sup>156</sup> HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, 12, q.24: Paris 1518 (repr. Lovaina 1961), fol.500v.

<sup>157</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 2, d.42, a.1, q.1: ed.c., 509.

<sup>158</sup> MARSILIUS INGHEN, *Quaestiones super quatuor libros Sententiarum*, 2, q.21, a.2, concl.4: ed.c. f.321b.

invenio. Quae possunt esse fundamenta huius opinionis diluentur infra.

DICO 1<sup>o</sup>: *talis voluntas studendi differt specie physica ab omissione pura*, ut constat ex dubio 2.

DICO 2<sup>o</sup>: *voluntas studendi quae est causa vel occasio omit-tendi sacrum habet malitiam eiusdem speciei moralis quam habet omissio sacri*. PROBATUR, quia in tali voluntate est formaliter vel virtualiter volita omissio sacri et ideo est imputabilis ratione illius tota deformitas contra praeceptum audiendi sacrum, ut probatum est dubio praecedenti, conclusione 1. Favent ea quibus dubio 2 probatum est omissionem non semper differre specie morali a commissione. Observandum tamen est hoc contingere posse dupliciter: 1<sup>o</sup>, ita ut studium durans tanto tempore quanto vis studere inducat periculum grave omittendi sacrum; nihilominus post idem studium maneat in potestate hominis audire sacrum si velit nimiam sollicitudinem adhibere et contingat esse sacrum quod audiat, et tunc voluntas studendi non retinebit complete, sed quasi incomplete malitiam omissionis, quia non est ita complete volita et causata omissio, sicut quando quis se exponit periculo fornicandi, non committitur peccatum quod perfecte et complete habeat rationem fornicationis. Et praeterea erit peccatum physice diversum numero ab omissione sacri, quamvis moraliter pro eodem reputetur et in confessione non sit opus explicare illam diversitatem. At vero si studium eo tempore durans omnino excludat potestatem audiendi sacri, tunc voluntas illius complete habebit malitiam omissionis sa[f.168]cri, imo, tunc non datur alia omissio pura numero distincta ab illo actu, frustra enim imaginabimur interpretativam voluntatem quando adest realis voluntas. Quare ille actus idem numero, et est commissionis peccatum quatenus est actus positivus, ut supra dubio 1<sup>o</sup>, in obiectione 4, et est alia ratione omissio, quatenus vult omissionem, et propterea imputatur.

DICO 3<sup>o</sup>: *voluntas studendi quae est causa vel occasio omit-tendi sacri non habet aliam peculiarem speciem malitiae ultra illam quam contrahit ex omissione sacri*. Idem dico de qualibet alia voluntate rei ex se honestae quae sit causa vel occasio

*omittendi sacri.* Colligitur ex Caietano 2.2, q.148, a.2, § *Sed ad hoc dicitur*<sup>159</sup>. PROBATUR quia illa voluntas studendi non habet aliam oppositionem cum ratione recta nisi esse contra praeceptum audiendi sacrum. Sed dicunt aliqui etiam esse inordinatam illam voluntatem, quia inordinate amat studium plus debito illud aestimando et constituendo in eo ultimum finem. Huius ratio evidens est, quia nemo intendens ad malum operatur, unde necessarium est in omni opere dari aliquam bonitatem sensibilem aut apparentem quae plus debito ametur, et ratione cuius concultur divinum praeceptum, et tamen non propterea dices in furto esse duplē malitiam, scilicet amorem nimium tritici aut argenti quod furaris aut amorem nimium filiorum quibus furaris et praeterea malitiam contra praeceptum non furandi. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia quando obiectum est honestum in se et praecise non potest volitio illius habere aliam malitiam nisi eam quae fuerit ex transgressione praecepti virtualiter volita, quamvis haec malitia vitiet omnem substantiam actus, [f.168v] ut alibi dictum est.

Sed DICES: causa et effectus sunt distincta; sed amor nimius studii est causa omissionis; ergo est peccatum distinctum ab omissione. RESPONDEO omissionem appellari posse negationem actus debiti sumptam quasi obiectum volitum et quasi effectum resultantem ex voluntate studendi et in omissione sic sumpta non consistit peccatum omissionis formaliter, sed in volitione indirecta illius omissionis quae includitur in voluntate studendi ac proinde omissio, qua ratione peccatum est, non est effectus voluntatis studendi sed quid inclusum in illa.

DICO 4<sup>o</sup>: *Quando actus alias ex obiecto et fine haberet malitiam, licet non sequeretur omissio ex ipso, tunc retinet eandem malitiam moraliter distinctam ab omissione.*

EXPLICATUR et PROBATUR exemplo manifesto ut ex illo colligamus quid dicendum sit in aliis obscurioribus. Voluntas furandi, quae ex obiecto mala esset licet non fuisse occasio omittendi sacri, ideo quando est occasio omittendi sacri retinet eandem

<sup>159</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa*, 2.2., q.148, a.2, § *Sed ad hoc dicitur:* ed.leon. Op. Sti Th. 10, 169b.

speciem peccati distinctam ab omissione sacri et eadem ratione quaecumque volitio quae sine honesto fine est occasio omittendi sacrum habet malitiam saltem venialem diversam ab omissione audiendi sacrum veluti voluntas dormiendi vel eundi in agrum seu venandi. Et ratio est, quia omnis voluntas carens honesto fine eo ipso est actus otiosus et veniale peccatum, supra, q.18, a.9. Et hinc constat discrimen harum voluntatum a volitione studendi, de quo dictum est in conclusione 3, quia studium est honestus finis. CONFIRMATUR, quia distinctio peccatorum sumitur ex distinctione honestatum et virtutum quibus privatur; sed voluntas eundi in agrum ad comedendum, ex qua sequitur omissio sacri, privat debito ordine temperantiae et est actus gulae et privat religiosa obedientia circa cultum Dei; ergo habet duplificem malitiam. Favet huic conclusioni D. Thomas, 2.2., q.142, a.2<sup>160</sup>, et Caietanus ibi<sup>161</sup>.

Sed OBIICIES 1<sup>o</sup> quia ex dictis videtur colligi oppositum tertiae conclusionis, nam volitio studendi quae est causa vel occasio omittendi sacri pugnat cum duabus virtutibus, scilicet cum studiositate, quae moderatur affectum in litteris, ex D. Thoma, 2.2., q.166, a.2<sup>162</sup>, et contra obedientiam religiosam circa sacrum. CONFIRMATUR, quia si hic homo secundum rectam rationem [f.169] moderaretur affectum in litteras non omisisset sacrum; ergo actus claudicat ex defectu huius moderabilis. RESPONDEO actus malos duplicitate carere honestate alicuius virtutis: 1<sup>o</sup> modo secundum aliquam rationem communem omnibus virtutibus et vitiis, sicque omne peccatum caret debita honestate obedientiae; nam si quis haberet perfectissimam virtutem habitualem obedientiae et actuale decretum obediendi in omnibus, nullum praeceptum transgrederetur, sive esset iustitiae sive temperantiae. Iste autem modus privationis virtutis non sufficeret constituere peculiarem speciem malitia; atqui hoc modo caret illa voluntas studendi debita studiositate moderante affectum, scilicet secundum modum

<sup>160</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 2.2., q.148, a.2: ed. leon. 10, 168.

<sup>161</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa*, 2.2., q.148, a.2: ed. leon. op. Sti. Thomae, 10, 1689b.

<sup>162</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.166, a.2: ed. leon. 10, 343s.

communem omnibus virtutibus et vitiis. Omnes enim virtutes ita debent moderari affectum erga sua obiecta ut ex illis non sequatur peccatum circa alias virtutes; at vero voluntas eundi in agrum ad comedendum ex quo sequitur omissio sacri, privat honestate temperantiae quae non solum debet moderari affectum cibi ne sit contra praecepta aliarum virtutum, sed etiam ne cibus propter se ipsum vel propter bonum sensibile solummodo ametur, sed ametur propter aliquod bonum honestum et ea mensura ut honesto serviat. Et hoc discrimen primario resultat ex eo quod cibus non est obiectum ex se honestum sicut studium. Quod si aliquis ad studendum et omittendum sacrum moveretur non ab honestate studii sed a delectatione vel ostentatione aut inani gloria aut lucro, tunc esset malitia venialis diversa ab omissione sacri.

**2<sup>a</sup> OBIECTIO:** si quis amaret studium adeo ut propter illud paratus esset transgredi praeceptum occurrens, et postea occurreret menti auditio sacri obligans et nihilominus decerneret studere, tunc essent duae species malitiae, altera affectus inordinati ad studium, altera vero omissionis sacri; ergo eadem ratione erunt duae species quandocumque ob nimium affectum studii omittitur sacrum.  
**RESPONDEO** negando consequentiam: sicut enim si quis prius decernat non obedire Deo, et postea occurrente occasione furandi furetur, erunt duo peccata, quia prior ille actus speciem sortitur a turpitudine obedientiae per se et praecise sumpta, non ut est ratio transcen[f.169v]dens, et nihilominus inde non sequitur in quolibet furto esse duo peccata, alterum furandi alterum non obediendi Deo, quia haec inobedientia est ratio trascendens. Ita, licet affectus inordinatus studendi usque ad transgressionem praecepti occurrentis non determinando in particulari aliquod praeceptum, sit diversa species peccati, quia specificatur a turpitudine inobedientiae volita in generali, nihilominus non sequitur esse diversas species malitiae in voluntate studendi quae est causa omittendi sacrum. Posse autem rationem aliquam universalem et praecisam tribuere speciem alicui actui probatum est in q.18, a.2, dub.1.

**3<sup>a</sup> OBIICIUNT** aliqui amorem studii quandoqua esse ita immoderatum ut licet nulla esset omissione sacri quam causaret, adhuc esset immoderatus, et tunc necessarium est diversam esse mali-

tiam, siquidem praecisa omissione sacri manet. RESPONDEO: si quis ita amaret studium ut virtute illius amoris actualis paratus esset transgredi aliud praeceptum ultra praeceptum audiendi sacrum, tunc sine dubio esset malitia diversa; si tamen virtute illius amoris non erat paratus transgredi nisi solummodo praeceptum audiendi sacrum, quamvis haec malitia maneat praecisa praesenti et urgenti obligatione audiendi sacrum in hoc tempore, quia ille amor esset malus etiamsi nunc non urgeret obligatio sacri, nihilominus ille amor non habet malitiam nisi ex eo quod anteponit studium obligationi audiendi sacrum si occurrit; quare non aliam malitiam habet. Unde in forma RESPONDEO: malitiam huius amoris manet praecisa omissione actuali, sed non manet praecisa volitione omittendi quando occurrat illius obligatio et ideo non habet diversam malitiam.

### Dubitatur 6<sup>a</sup>

#### **Quo tempore commitatur peccatum omissionis ab iis qui possunt implere praeceptum suo tempore**

1<sup>a</sup>: *si homo sit ratione compos et possit implere praeceptum quando urget eius obligatio et habeat tunc actum positivum quo velit non implere praeceptum, sive hoc velit directe sive indirecte volendo rem incompossibilem praecepto, non est dubium [f.170] quin tunc committatur peccatum omissionis.* Quando autem incipiat hoc peccatum et quomodo continuetur, non habet peculiarem difficultatem, sed communem omnibus actibus voluntatis.

2<sup>a</sup>: *quod si nullum actum positivum habeant, erit tunc imputabilis pura omissio,* ut constat ex dubio 3<sup>a</sup>, idque quamvis antea dederit causam omissionis, ut si prius se dedisset somno sine ulla cura audiendi sacri, et postea vi extrinseca excitatus esset tempore quo posset audire sacrum et nihilominus non audiret, tunc esset de novo imputabilis illa omissio et digna peculiari poena ultra illam quam meretur culpabilis ille somnus.

3º: excitat autem in hac re molestam quaestionem Almain, 3 Moralium, cap. 25 versus finem<sup>163</sup>, scilicet *utrum tale peccatum omissionis purae committatur in instanti*, ita ut si in illo instanti esset homo et immediate postea non esset, damnaretur propter illud peccatum, an vero committatur in tempore, ita ut de nullo instanti sit verum dicere «nunc primo est peccatum omissionis», atque adeo nullus posset damnari nisi qui tempore aliquo permanisset in illo peccato.

Ut hanc quaestionem solvat Almain supponit non habere difficultatem in actionibus quae possunt fieri in instanti, nam si illae praecipientur, omissio erit culpabilis in illo instanti in quo urget earum obligatio. Circa alias actiones praeceptas quae non possunt fieri nisi in tempore, investigat utrum tempus ad illas sufficiens terminetur per minimum quod sic vel per maximum quod non. Si enim datur tantum tempus sufficiens ad actiones praeceptas ita ut quodlibet brevius non sufficiat, tunc omissio non datur in instanti initiativo illius temporis, sed in sequenti tempore, quia non opus est actionem fuisse in illo instanti, sed satisficeret praecepto si actio duraret toto tempore sequenti. Et hoc existimat probabilius Almain in omnibus actionibus praeceptis quae requirunt tempus. Si autem tempus sufficiens ad actiones praeceptas terminatur per maximum quod non, ita ut tantum tempus non sufficiat et quodlibet maius sufficiat, tunc omissio incipiet in instanti initiativo illius tem[f.170v]poris, quia in quolibet instanti et qualibet parte temporis ante illud instans potuit esse actio praecepta, sed in illo instanti et tempore sequenti non potest esse. Et hoc probabilius iudicat in omnibus actionibus Altissiodorensis apud eundem Almain.

Recte satificisset Almain huic quaestioni si homines qui omittunt cognoscerent utrum tempus requisitum ad actiones praeceptas terminaretur per minimum quod sic vel maximum quod non; aliter enim nihil refert sic vel aliter terminari, nam tunc incipit omissio culpabilis cum homo iudicat sive expresse sive virtualiter nisi tunc incipiat impleri praeceptum affirmativum non posse impleri, et

---

<sup>163</sup> J. ALMAIN, *Moralia*, 1.3, c.25: ed. c., f.119.

tamen voluntas non elicit actum quo velit explere. Homines autem etiam acutissimi non possunt discernere inter hoc vel illud instans et tempus sequens ita ut in eorum potestate sit non inchoare actionem in hoc instanti sed in tempore immediate sequenti, et ideo sive in tempore sive in instanti incipiat cogitatio ita dictans nisi quam celerrime velis implere praeceptum non poteris, tunc etiam incipit omissio pura si non prodeat voluntas in actum. Quod si nec formaliter nec virtualiter proponit intellectus praecepti obligationem iam urgere et tamen oblivio illa praecepti est culpabilis, tunc erit culpa formaliter in praecedenti causa oblivionis, ut dicetur in dubio sequenti.

4º ROGAS: quamdiu durabit haec omissio pura. RESPONDEO: tamdiu solummodo quamdiu omittens iudicaverit adhuc vigere obligationem implendi aut totam rem praecepti aut partem illius nec omnino praeteriisse tempus obligationis.

5º DICES hinc inferri contra dicta supra, q.88, a.4, dubio <sup>164</sup>, idem peccatum labente tempore fieri posse ex veniali mortale, nam si quis scit iam celebrari sacrum et non esset aliud quod audire possit, et tamen non habeat volitionem audiendi illud, ille non peccabit mortaliter per breve tempus, quia eo tempore levius culpa est non audire et ita iudicat ille homo ut supponat postea autem labente tempore est mortalis culpa. RESPONDEO eam omissionem licet sit una in esse materiali negationis actus, caeterum, in esse privationis moralis et peccati est duplex quia prior est privatio actus secundum quid debiti, posterior autem est privatio actus simpliciter debiti et continet interpraetativum contemptum praecepti.

---

<sup>164</sup> D. RUIZ DE MONTOYA, *Comment. in mat. de peccatis*, 1.2., q.88, a.4, dub.1:  
ArchTerolGran 55 (1992) 216-222.

[f.171]

**Dubitatur 7<sup>a</sup>****Quo tempore committatur peccatum omissionis  
ab iis qui sua culpa non possunt implere praeceptum**

1<sup>a</sup> sententia affirmat omissionem puram sine ullo actu voluntatis peccatum esse et imputari eo tempore quo urget obligatio praecepti quamvis tunc nulla sit libertas in homine nec praecesserit aliqua culpa veluti omissionem sacri imputari dormienti quamvis sine culpa somnum ceperit. Hanc refert Glossa, cap. "quia vero" [?] d.6<sup>165</sup> et tenet Marsilius, 2, q.21, a.2 post 4 conclusionem<sup>166</sup>. Et falso adscribitur aliis Doctoribus ut Altissiodorensi, Ricardo de Sto. Victore, Caietano, imo etiam D. Thomae.

Haec sententia est improbabilis tum quia culpam asserit sine libertate ulla nec in se nec in sua causa, tum etiam quia asserit amitti gratiam quando non est in potestate hominis illam retinere, et e contra ait salvari hominem qui dedit libere causam omissionis si nondum secutum est tempus implendi praeceptum. Quapropter, si Petrus velit dormire tempore audiendi sacri et dormiens occidatur antequam praetereat tempus audiendi sacrum salvabitur, quia illum manere in gratia expresse concedit Marsilius. Quod si occidatur dormiens transacto illo tempore damnabitur; itaque differentia temporis quae non fuit in potestate hominis damnat aut liberat ab aeterna morte, quod est absurdissimum. Ac denique, si vera esset haec sententia pueri et amentes omnes peccarent et damnarentur propter innumeras omissiones eiusmodi: nihil enim interest utrum somno, aetate vel amentia sublata sit libertas si nulla culpa praecessit in voluntate capiendi somnum.

2<sup>a</sup> sententia fuit: totum hoc peccatum omissionis tunc committitur quando aliquis voluntarie dat sufficientem causam omissionis; postea vero, tempore praecepti nullum esse peccatum si iam nulla sit potestas implendi illud. Ita Alexander, 2 p., q.130, mem.7<sup>167</sup>;

<sup>165</sup> C.I.C., c.1, D.VI: ed. Friedberg, 1, col.9.

<sup>166</sup> MARSILIUS INGHEN, *Quaestiones super quatuor libros Sententiarum*, 2, q.21, a.2, concl.4: ed.c. f.321b.

<sup>167</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.130, mem.7: Lyon 1516, fol.

Maior, 4, d.11, q.2, et d.17, q.8<sup>168</sup>; Altissiodorensis, lib.2 Summae, tr.29, c.3<sup>169</sup>; Adrianus, 4, q.3 De Eucharistia, ad 7<sup>170</sup>; Gabriel, 2, d.41, q.1 versus finem<sup>171</sup>. Et quantum ad pollutio nem in somnis secutam, in qua est eadem ratio, idem sentiunt Paludanus, 4, d.9, q.3, concl.1<sup>172</sup>; ubi Maior, q.1, concl.2<sup>173</sup>; D. Thomas, a.4, q.1, et 2.2., q.154, a.5<sup>174</sup>; D. Antoninus, 2 p., tit.6, c.5<sup>175</sup>. Huius sententiae argumenta afferentur pro prima conclusione.

3<sup>a</sup> sententia asserit omissionem committi et imputari ut culpam non quando datur causa ex qua [f.171v] necessario resultat omissio sed quando urget tempus implendi praeceptum affirmativum, quamvis ratio propter quam tunc imputatur omissio sit quia praecessit libertas in causa. Ita D. Thomas, q.71, a.5 ad 3, et magis expresse 2.2., q.79, a.3 ad 3, et q.150, a.4, et q.154, a.5<sup>176</sup>; D. Antoninus, 1 p., tit.7, c.2, § 3<sup>177</sup>; Henricus, quodlibeto 3, q.26, et consonat quodlibeto 12, q.24<sup>178</sup>; Caietanus, 2.2., q.150, a.4, et opusculo 17 Responsorium, q.16<sup>179</sup>; Gabriel,

282b.

<sup>168</sup> J. MAAIOR, *In Quaartum Sententiarum Quaestiones*, d.17, q.8: Paris 1521, f.133a.

<sup>169</sup> GUILIELMUS ALTISSIODORENSIS, *Summa Aurea*, 1.2, tr.29, c.3: ed.c. fol.105v.

<sup>170</sup> HADRIANUS VI, *Disputationes in Quartum Sententiarum praelestum circa sacramenta*, De sacramento Eucharistiae, q.3 ad 7: Roma 1522, fol. 32 b.

<sup>171</sup> G. BIEL, *Collectorium circa quattuor libros Sententiarum*, 2, d.41, q.un., dub.3: ed.c., 689ss.

<sup>172</sup> PETRUS A PALUDE, *Lucubrationum opus in quartum Sententiarum*, d.9, q.3, concl.1: Salamanca 1552, p.118.

<sup>173</sup> J. MAIOR, *In Quartum Sntentiarum Quaestiones*, d.9, q.2, concl.2: ed.c., f.31b.

<sup>174</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 2.2., q.154, a.5: ed.leon. 10, 229s

<sup>175</sup> ANTONINUS, *Summa*, 2 p., tit.6, c.8: Lyon 1542, s/f. Habla de la polución nocturna y por analogía de las causas que la pueden producir y cuándo por ellas sería pecado; puede inferirse algo. San Antonino más bien se inclina, en el caso de la omisión, por la 3<sup>a</sup> sentencia. Véase la nota 177.

<sup>176</sup> THOMAS AQ., *Summa Theol.*, 1.2., q.71, a.5 ad 3: ed. leon. 7, 8b; 2.2., q.79, a.3 ad 3: ed.leon., 9, 171; ibid, q.150, a.4: ed.leon., 10, 189; ibid., q.154, a.5: ed.leon., 10, 229s.

<sup>177</sup> ANTONINUS, *Summa*, 1 p., tit.7, c.2, § 3: ed.c., f.93a.

<sup>178</sup> HENRICUS GOETHALS A GANDAVO, *Quodlibeta*, 3, q.26: Paris 1518 (repr. Lovaina 1961), ff.84-87; quodl. 12, q.24: ibid. fol.500.

<sup>179</sup> THOMAS A VIO, *Commentarii in Summa*, 2.2., q.150, a.4 III:ed leon. op. Sti.

lec. 10 in canonem, litt. K<sup>180</sup>; Corduba, 2<sup>a</sup> Quaestionario, q.18, corol.1<sup>181</sup> (ubi propterea reprehendit discipulos D. Thomae quia non recte intellexerit eorum mentem). Sotus, 4, d.12, q.1, a.7, § Primum omnium, propos.1<sup>182</sup>; et communiter thomistae, supra, q. 71, a.5, ubi Medina<sup>183</sup>, et Zumel, disp.6<sup>184</sup>; Valentia, 1.2, disp.6, q.2, punc.4<sup>185</sup>. Idem circa pollutionem Ledesma, 1.4, q.21, a.7, dub.2<sup>186</sup>. Huius sententiae rationes adducentur pro 2<sup>a</sup> conclusione.

Haec controversia dirimenda est non ex propria ratione omissionis sed ex universali doctrina circa actus exteriore tradita supra, q.20, praesertim a.3 et 4<sup>187</sup>; difficultas enim eadem est. Si quis ebrius hominem occidat, utrum tunc committat peccatum quando occidit, vel potius quando conscientius huius periculi se ingurgitavit. Sed hoc a Doctoribus communiter disputatur praecipue circa omissionem, quia frequentius et facilius contingunt omissiones sine libertate in se, sed tantum in causa. Et ut existimat secunda sententia, vix dissidet a tercia nisi in verbis; proprius tamen loquitur 3<sup>a</sup> sententia.

Pro explicatione praemitto, ex dicta q.21, actum interiorem appellari qui est formaliter liber et ratione sui imputabilis; at vero exteriorem illum esse qui imperatur et movetur ab alio ratione cuius imputatur.

DICO 1<sup>a</sup>: *Tota ratio interioris peccati, praeciso actu exteriori, reperitur perfecte et complete in voluntate dormiendi aut dandi*

Thomae 10, 190.

<sup>180</sup> G. BIEL, *Canonis Misæ expositio*, lect. 10, litt.K: Wiesbaden 1963, p.80s.

<sup>181</sup> ANTONIO DE CÓRDOBA, *Primer Cuestionario*, q.18, coroll.1: Opera, 1. Quaestionario Theologicum, 1.2, *De ignorantia*, Venecia 1569, p.99.

<sup>182</sup> D. SOTO, *Commentarii in Quartum Sententiarum*, d.12, q.1, a.7: Salamanca 1557, t.1, 556.

<sup>183</sup> B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae...*, q.71, a.5: ed.c., 363a.

<sup>184</sup> F. ZUMEL, *In primam secundae Sti. Thomae commentarius*, q.71, a.5, disp.6: Salamanca 1584, p.896.

<sup>185</sup> G. DE VALENTIA, *Comment. Theolog.*, t.2, In 1.2., d.6, q.1, punto 4: Lyon 1603, t.2, cols. 540ss.

<sup>186</sup> No hemos podido verificar esta cita.

<sup>187</sup> No tenemos noticia de este comentario.

*aliam causam omissionis.* Hoc tantummodo intendunt Doctores secundae sententiae et non negatur a Doctoribus tertiae sententiae, imo expresse conceditur a D. Thoma, 2.2., q.79, a.3, in fine solutionis tertii argumenti<sup>188</sup>, dum ait omissionem, licet imputetur quando urget obligatio praecepti, verum non imputari propter voluntatem quae sit tunc, sed propter voluntatem praecedentem in causa.

PROBATUR conclusio evidenter, quia implicat contradictionem esse peccatum sine libertate, supra, q.71, a.6, dub.4<sup>189</sup>; sed non est libertas tempore quo urget obligatio praecepti, sed tantummodo quando datur causa omissionis ut supponitur in casu huius dubii; ergo non potest esse [f.172] ratio peccati interioris quod ratione sui sit imputabile nisi quando datur causa omissionis. CONFIRMATUR 1º, quia quando quis dat causam omissionis sciens et prudens, tunc virtualiter vult omissionem, supra dubio 4 et 5; at vero quando urget obligatio praecepti nullum actum habet voluntas ut suppono, et ideo nec formaliter nec virtualiter vult omissionem; et praeterea nec interpretative, quia ad volitionem interpretativam requiritur potestas operandi et non operandi, quae tunc non est, ut suppono. CONFIRMATUR 2º, quia si quis directe et expresse velit omittere, tunc vere habet totam malitiam quae pertinet ad interius peccatum omissionis; ergo similiter quando vult virtualiter in causa; tunc enim etiam imputatur malitia omissionis. CONFIRMATUR denique ex iis quae dicta sunt q.20, a.5 de futuro eventu, quomodo aggravet malitiam interioris volitionis, et dicentur etiam q.73, a.8.

DICO 2º: *actus exterior omissionis* (scilicet actus ex se malus sed non imputabilis et liber in se formaliter sed ratione alterius) *committitur quando urget obligatio praecepti, quamvis tunc nulla sit libertas, et non committitur antea.* Ita Doctores tertiae sententiae, et non negatur a Doctoribus secundae. PROBAT D. Thomas, quia omissionis peccatum violat obligationem praecepti affirmati-

<sup>188</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.79, a.3 ad 3: ed. leon. 9,171b.

<sup>189</sup> D. RUIZ DE MONTOYA, *Commentarii in mat. de peccatis*, 1.2., q.71, a.6, dub.4: ArchTeolGran 2 (1939) 266–275.

vi; sed obligatio praecepti affirmativi non est in omni tempore sed in tali; ergo tunc est culpabilis illius omissio. CONFIRMATUR 1<sup>o</sup>, quia si quis se committeret somno culpabiliter cum probabili aut certo periculo omittendi sacrum, et postea extrinseca vi hominis alicuius vel agentis naturalis excitaretur et audiret sacrum, talis implevisset praeceptum audiendi sacrum; ergo non erat directe violatum praeceptum quando voluit somnium capere: nam quod postea excitetur extrinseca vi nihil culpae auget aut minuit in volitione dormiendi, sed in dicto casu praeceptum audiendi sacrum violatum est indirecte et sine effectu, sicut violatur praeceptum prohibens homicidium ab illo qui incaute emitit sagitam cum gravi periculo occidendi sed de facto ne[f.172v]minem occidit. CONFIRMATUR 2<sup>o</sup>, quia si propter omissionem sacri imposita esset poena excommunicationis vel irregularitatis, non committeretur ea poena si quis excitaretur a somno ut sacrum audiret, quamvis quod in se est, sufficientem causam dedisset omissioni.

Solet hic disputari utrum haec omissio denominetur peccatum quamvis aliquis poenituerit iam quod dederit illius causam, sed haec difficultas communis est omnibus peccatis externis; et ideo relinquitur in a.2, q.74, praesertim dubio 4. Faciuntque ad hanc rem quae de documento praeviso et illius imputabilitate dicemus infra, q.74, a.8, et q.76 de ignorantia, praesertim a.3 et 4, ubi reperientur quae hic desiderantur.

Quod si OBIICIAS D. Thomam, 2.2., q.79, a.3 in fine solutionis 3, dicentem: «omissio incipit imputari ad culpam quando fuit tempus operandi»<sup>190</sup>; sed si eo tempore esset solummodo actus exterior omissionis et praecesisset iam actus interior peccati, iam coepisset imputari omissio; CONFIRMATUR, quia ratio peccati potius convenit peccato interiori quam exteriori; ergo si peccatum interius omissionis committitur cum datur causa omissionis, at vero quando urget obligatio praecepti non committitur nisi peccatum exterius, potius dicendum erit cum Doctoribus secundae sententiae absolute committi peccatum omissionis quando datur illius causa. RESPONDEO dupli modo: aliquid est imputabile

---

<sup>190</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.79, a.3 ad 3: ed. leon. 9, 171.

primum ex eo solo quod volitum sit, quamvis nondum reipsa factum, ut quando praecipis homicidium licet nondum patratum fuerit re ipsa, imputatur tamen, quia iam voluisti illud. Et hoc modo incipit imputari omissio non a tempore quo obligat praeceputum, sed a tempore quo dedisti causam. Alio modo imputatur aliquod peccatum quia iam patratum sit libere, ut si te dormiente tuus famulus ut tuo praecepto satisfaciat, occideret inimicum, tunc inciperet tibi imputari homicidium quasi iam opere consummatum, et propterea tunc et non antea incurres irregularitatem et excommunicationem si occisus esset clericus. Et hoc modo secundo incipit imputari omissio a tempore quo urget obligatio praecepti, quia tunc tantummodo est omissio re ipsa facta, quamvis multo antea praecesserit vo[f.173]luntas ratione cuius est volita libere et imputabilis, ut ipse D. Thomas ibidem notat.

Ad confirmationem RESPONDEO: licet ratio vel potius nomen peccati dicatur de actu interiori, ut de praecipuo analogato, et de actu exteriori minus principaliter et denominatione extrinseca, nihilominus sunt multa nomina peculiarium peccatorum imposita ad significandos primario actus exteriores imputabiles, ut homicidium significat ex primaria impositione exteriorem actum occidendi hominem, et hoc modo omissio, ex primaria impositione significat ipsam privationem actus debiti, et haec non est nisi tempore quo deberet esse actus praceptorum, et propterea tunc dicitur incipere huiusmodi peccatum.

DICES 3<sup>o</sup>: talis omissio habita quando nulla est libertas nullam malitiam de novo imputabilem addit supra praecedentem causam omissionis sed solum extrinsece perficit et complet. Huius explicatio et probatio constat ex dictis q.20, a.4, praesertim conclusione 5 et 6.

Sed DICES: hinc sequitur tantam esse malitiam omissionis quanta fuit malitia causae; consequens autem videtur falsum, nam aliquando erit maior malitia causae, ut si Petrus ex longa experientia collegerit tantum vini ebrietatem sibi afferre, verum vix posset colligere eam ebrietatem duraturam esse tam diu ut impediret sacrum; tunc peccatum mortale erit ebrietas, at vero omissio sacri non erit nisi peccatum veniale, quia non fuit simpliciter

volita sed secundum quid. E contra vero, si quis vellet somnum capere, voluntas somni esset venialis et omissio sacri mortalitatis. Huius solutio facilis est ex dubio 5<sup>a</sup> scilicet, non esse habendam rationem eius malitiae quae convenit causae omissionis ex parte alterius obiecti, ut somni vel ebrietatis, sed solummodo eius malitiae quae convenit illi in quantum est causa omissionis et in quantum in illa virtualiter est volita omissionis; et ut sic est tantum peccatum veniale illa electio ebrietatis in qua est secundum quid praecognita et secundum quid volita omissionis sacri, quamvis sub alia ratione sit mortale. E contra vero voluntas capiendo somni, quamvis ut sic venialis sit, tamen ut causa est omissionis praecognitae est peccatum mortale.

### Dubitatur 8<sup>a</sup>

**Utrum semper sit peccatum  
libere se coniicere in impedimentum  
quod excusat ab implendo praecepto**

[f.173v]

Hoc dubium, licet in transgressionibus locum habeat, frequenter tamen occurrit in omissionibus, quia praecepta affirmativa nec semper obligant nec tam rigide ut negativa, regulariter loquendo. Exemplum sit utrum foret peccatum mortale in bacchanalibus ita stomachum cibo et potu onerare ut moraliter certo immineat infirmitas qua excusetur quis a ieiunio et ab audiendo sacro in diebus dominicis. Ratio dubitandi est, quia hic praevisa est transgresio ieiunii et omissio sacri; ergo volita est in causa.

Sed RESPONDEBIT aliquis non esse transgressionem nec omissionem postea si ille excusat ab implendo praecepto, atque adeo nec praevisa esse nec praevolita in causa. Ideo inter iuniores variae sunt sententiae; nam quidam dicunt non esse peccatum libere se coniicere in tale impedimentum, quia infirmus v.gr. sive sua culpa sive sine culpa non tenetur audire sacram; ergo nec tunc nec antea imputatur illi in culpam omissio sacri. SED hoc argumentum est evidenter falsum; potest enim praeceptum obligare ad cavendum impedimentum et ad cavendum somnum aut aegritudinem propter implendum praeceptum, quamvis dato iam impedi-

mento non obliget. CONFIRMATUR quia, alias qui se ingurgitat tempore audiendi sacrum non peccaret quia ebrius excusatur ab audiendo sacro.

2<sup>a</sup>, alii existimant tunc solum esse peccatum quando aliquis directe intendit impediri et excusari ab implendo paecepto. Ita Medina, infra, q.77, a.7, et latius in Summa, fol. 101 et 102<sup>191</sup>. VERUM haec sententia, licet in aliquo paecepto et aliquo impedimento illius vera sit, ut constabit statim, nihilominus universaliter non est vera, tum quia licet quis eo animo araret aut meteret tota die ut excusaretur a iejunio, ille non peccaret mortaliter contra iejunium, tum etiam quia e converso peccaret mortaliter qui iter aggressus domi reliquerit breviarium, quamvis non ea intentione relinquenter ut excusaretur a dicendo officio, sed ut liberior esset ab onere. Et similiter peccaret qui se ingurgitaret tempore audiendi sacri, licet non ut omitteret sed delectationis causa biberet.

3<sup>a</sup>, alii praecedentem opinionem limitant, ut tunc peccatum sit admittere impedimentum paecepti quando licet non admittatur eo fine ut excusetur aliquis a paecepto, tamen proxime et quasi eodem tempore sequitur omissio paecepti. VERUM haec sententia reiicitur ex dictis et dicendis.

Quare EXISTIMO in hac re quamlibet universalem regulam esse fallacem propter illam quae [f.174] dictat attendendam esse vim et rigorem paecepti, necessitatem et utilitatem impedimenti, et quam proxime vel quam remote impedita paecepti obligationem, quam per se vel per accidens respiciat materiam rei paeceptae. Per se inquam, ut breviarium respectu officii divini; per accidens autem ut salus respectu eiusdem officii; et iis computatis in singulis paeceptis diversimode decernenda sunt peccata, quia quaedam paecepta sunt tam benignae obligationis ut permittant impedimenta voluntarie assumpta quamvis non sint omnino necessaria sed tantum utilia, ut paeceptum ieunandi permittit labores quibus excusatur quis ab obligatione; nihilominus quia paeceptum recitandi horas canonicas rigidius est non excusaretur sacerdos

---

<sup>191</sup> B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae...*, q.77, a.7: ed.c. pp. 412s.

simili aliquo labore, insuper si quis aliquo oneraret stomachum cibo ut probabiliter immineret illi infirmitas qua impediretur ne audiret sacrum, non imputaretur illi omissio sacri et tamen eidem imputaretur omissio ministrandi sacramenta parochianis si diu carerent illis, praesertim in Paschate, propter infirmitatem Parrochi cuius causam culpabiliter dedit.

### Dubitatur 9<sup>a</sup>

#### Unde sumenda sit gravitas purae omissionis

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Sumenda est praecipue ab obiecto.* PROBATUR 1<sup>a</sup>, quia tanta malitia et non maior imputatur ratione actus sive formalis sive interpraetativi quanta est volita libere per talem actum; sed quod est volitum est obiectum; ergo ab obiecto sumitur malitia. CONFIRMATUR quia de peccatis transgressionis ita probandum erit infra, q.73, a.3. Si autem petas quod est obiectum omissionis, responsio est esse negationem actus praecepti et circumstantiarum praeceptarum, quae negatio est interpraetative volita; et hoc obiectum commune est omnibus omissionibus, ultra quod quaedam omissiones habent interpraetativam volitionem alicuius finis, aliae vero minime, ut infra, n.5.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *gravitas omissionis purae sumenda est etiam ex gravitate obligationis praecepti affirmativi.* Ita tenet Almain, 3 Moralium, cap.26<sup>192</sup>; Maior, 4, d.42, q.2 ad 5<sup>193</sup>; Medina, q.71, a.5, col.ult.<sup>194</sup>; tribuitur Adamo in 4, q.6<sup>195</sup>. PROBATUR, quia omissio est privatio actus debiti, et quanto actus est magis debitus tanto magis proprie habet rationem privationis et turpiorem reddit hominem. CONFIRMATUR, quia quodcumque gravius peccatum [f.174v] strictius prohibetur et strictius praecipitur eius oppositum; imo vix potest intelligi rigor praecepti nisi intelligatur culpa gravis sub qua praecipitur; si enim sub culpa levis praeciperetur non erit

<sup>192</sup> ALMAIN, *Moralium*, 3, c.26: Paris 1526, f.120v–121.

<sup>193</sup> Véase nota 137.

<sup>194</sup> B. DE MEDINA, *Expositio in primam secundae..*, q.71, a.5: ed.c., p.364.

<sup>195</sup> Véase nota 85.

grave peccatum. CONFIRMATUR 2<sup>a</sup>, quia quanto magis praecipitur aliquid tanto magis pertinet ad obedientiam; ergo tanto gravior erit inobedientia et contemptus illius.

**3<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Gravitas omissionis augetur ex dignitate virtutum quibus privat*. Hanc conclusionem existimat Almain pugnare cum precedentibus, verumtamen infertur ex illis; nam ex prima conclusione infertur, quia obiectum purae omissionis, ut dixi, est negatio actus honesti debiti: quanto autem melior est actus debitus tanto peior est negatio illius, sicut universaliter tanto deterius est malum quanto meliori bono privat. Sed ex secunda conclusione sic infertur: quia quanto perfectior est virtus tanto maiorem obligationem inducit quia maius bonum magis necessarium est ad ultimum finem et propterea magis retinendum. Explicabitur vis huius rationis et limitatio conclusionis in solutione obiectionis. CONFIRMATUR, quia ex ratione specifica provenit praecipue gravitas peccati; sed species peccati et maxime omissionis sumitur ex honestate qua privat, supra, a.1, conclusione 2; ergo inde etiam petenda est gravitas omissionis. Explicabitur magis haec conclusio infra, q.73, a.4, ubi diluentur plures obiectiones quae communes sunt peccatis omissionis et commissionis.

Nunc auten solvenda est obiectio Almain quae in solis omissionibus locum habet. Arguit igitur Almain citatus quia si ex perfectione actus contrarii petenda esset gravitas omissionis, sequeretur in pura omissione non esse certam malitiam, quia nulla determinata perfectio est in actu praecepto. EXPLICATUR in omissione actus caritatis: nam cum satis fiat praecepto quacumque intensione eliciatur actus caritatis nullus gradus determinatae intensionis erit praceptus. CONFIRMATUR, quia sequeretur etiam malitiam purae omissionis infinites minorem esse quam si praceptus esset actus caritatis determinatae intensionis; hoc autem implicat contradictionem, quia utraque omissio esset peccatum mortale finitae malitiae, ac proinde una omissio non posset in infinitum distare ab alia. Consequentiam autem deducit hac calculatione: si praceptus esset Petro actus caritatis intensus ut duo, duplo levior esset omissio illius quam si praecetus esset illi

actus caritatis intensus ut quatuor; ergo si praeceptus esset illi actus caritatis intensus ut unum esset duplo levior malitia quam si praeceptus esset actus intensus ut 2, atque adeo malitia [f.175] esset quadruplo levior quam si praeceptus esset actus intensus ut quatuor. Sic succesive ablata dimidia intensione actus praecepti auferetur dimidia gravitas, et tamen restant infinitae medietates intensionis; ergo si illae auferantur, infinites duplicabitur levitas culpae, sed hae omnes auferuntur si nulla prorsus intensio praecelta sit; ergo est infinite levior omissio talis actus.

RESPONDEO 1<sup>o</sup>, forte actum habere aliquam determinatam intensionem ita ut sub minori esse non possit, ac proinde, si praecipiatur actus, praecipitur determinate illa intensio requisita ut ex sententia D. Thomae respondet Capreolus, 2, d.35, fine<sup>196</sup>, ubi refert aliam solutionem Adami, quae non video quam sit ad rem. Sed quidquid sit de hoc, RESPONDEO 2<sup>o</sup>, ad principale argumentum, gravitatem omissionis sumi ex perfectione specifica actus praecepti, et non ex perfectione intensiva, et ideo, licet intensio non determinetur in praecerto, adhuc tamen determinata erit malitia omissionis.

Ad confirmationem RESPONDEO concedendo omnes propositiones praeter ultimam consequentiam, quam nego; sicut enim superficies duorum palmorum latitudinis erit duplo angustior quam alia quatuor palmorum, et hac erit quadruplo angustior latitudo unici palmi, et octuplo angustior latitudo dimidii palmi, et sic in infinitum; sed non infertur inde latitudinem quatuor palmorum esse infinitam, ac proinde non infertur lineam in infinitum distare ab extensione superficie, quia caret omni ea extensione quae infinitis proportionibus exceditur, cuius ratio est quia illae proportiones infinitorum excessum quos habet quantitas unius palmi respectu aliorum sunt excessus supra partes proportionales minores et minores quae omnes simul sumptae non sunt tantae magnitudinis ut est quantitas quatuor palmorum; verumtamen recte colligitur lineam nihil continere latitudinis quamvis retinem

---

<sup>196</sup> J. CAPREOLUS, OP, *Defensiones Theologicae*, 2, d.35, a.3, fine: Tours, t.4, 1903, 420b.

contrarius magis distat a suo contrario quam simplex negatio illius. Quod, ut bene explicat Caietanus in eum locum D. Thomae, sic accipiendum est ut licet multo minus convenienter inter se albedo et negatio albedinis quam albedo et nigredo, nam haec convenienter in ente, in accidente et in ratione qualitatis corporeae et sensibilis, et in nullo gradu convenienter cum negatione, et quamvis quoad huiusmodi distantiam albedo et eius negatio magis distent quam albedo et nigredo, nihilominus album et nigrum

magis distant quam album et non album quoad distantiam latitudinis quam opus est pertransire ut perveniatur ab uno extremo in aliud, nam nigrum ut sit album debet pertransire latitudinem nigredinis quam relinquunt, et latitudinem albedinis quam adquirit; at vero non albo sola latitudo albedinis pertranseunda est. Et CONFIRMATUR, quia nigrum addit aliquid supra non album et propterea omne nigrum est non album sed non e contra.

Hoc supposito, sic arguit D. Thomas: gravius peccatum est quod magis distat a virtute; sed commissio magis distat a virtute ut contrarium illius supponens negationem virtutis, et insuper addens aliquid malitiae; at vero omissio minus distat, scilicet ut mera negatio virtutis; ergo. CONFIRMATUR, quia propterea gravius est contumeliam inferre parentibus quam non exhibere illis debitam reverntiam.

2º PROBATUR, quia propterea melius est facere bonum quam omittere malum, quia facere bonum habet potiorem rationem voluntarii et magis coniungit et immediatus cum obiecto bono; ergo eisdem rationibus facere malum erit peius quam omittere bonum.

3º, quia facilius est abstinere a malo faciendo quam facere bonum; ergo gravius est facere malum.

4º, quia regulariter maius nocentium afferit commissio tum aliis tum ipsi homini, in quo producit habitum malum, quem non producit pura omissio, supra, dubio 3.

Adam, 4, q.6, ut ferunt, existimat si quis actu positivo velit omittere, malitiam illius actus in infinitum superaret malitiam purae omissionis, quia actus excedit non actum infinitis partibus.

CONFIRMATUR, quia nulla est proportio inter actum et non actum. Sed facile RESPONDEO in nullo actu esse infinitas partes [f.176v] aequales nisi sint infinitae partes proportionales quibus superet non actum, et non propterea est distantia infinita sicut nec perfectio omnium illarum partium simul sumptarum est infinita. Et ad confirmationem RESPONDEO inter non actum et actum non esse proportionem partium, quia non actus non habet partes, sicut inter punctum et lineam non est proportio, at vero in gravitate morali et imputabili proportio est inter commissionem et omissionem quia omissio habet suam latitudinem gravitatis, ut in praecedenti dubio.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Semper aut fere semper pura omissio est peccatum gravius quam realis et positiva volitio omittendi.* Et ratio est quia quamvis per se et caeteris paribus peior sit volitio realis omittendi, ut probatum est, nihilominus pura omissio non est moraliter possibilis nisi cum maiore contemptu interpretativo praecepsi, ita ut vel non cogitur de pracepto vel circa illud implendum non deliberetur, quasi circa rem nullius momenti, ut dictum est in dubio 3, conclusione 3.

Ad 1<sup>um</sup> RESPONDEO volitionem omittendi esse malam propter omissionem, non utcumque sed in quatum volita est omissio, et in quatum est contraria virtuti, et quia magis contraria est et magis volita per actum positivum quam per actum interpretativum; ideo est peior.

Ad 2<sup>um</sup> RESPONDEO, merito confessarios illud non interrogare 1<sup>o</sup>, quia fere semper est omissio cum actu, supra, dubio 3. 2<sup>o</sup>, quia licet fuerit sine actu, non potest hoc discerni a poenitente. 3<sup>o</sup>, quia licet discerni potuisset, non esset opus illud explicare, quia nec aggravat notabiliter nec mutat speciem moralem.

Ad 3<sup>um</sup> RESPONDET Albertus esse unam legem hostiae pro peccato et pro delicto quoad universales quosdam ritus, sed non quoad omnia, ut ibidem constat.

Ad 4<sup>um</sup> RESPONDET D. Thomas 2.2., q.79, a.4 ad 1<sup>207</sup>, ibi delictum accipi pro omissione debiti cultus divini scienter et ex

---

<sup>207</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 2.2., q.79, a.4 ad 1: ed leon. 9, 172b.

## Utrum haec divisio sit generis in species

Tribus modis potest accipi haec divisio: duo priores exigunt ut omnia membra divi[f.177v]dentia sint actus voluntatis ex quibus ea volitio quae non versatur circa opus exterius sit peccatum cordis, et volitio loquendi sit peccatum oris, et volitio operandi externo alio membro sit peccatum operis. Sicque manifestum est in omnibus membris dividentibus reperiri formaliter et intrinsece rationem peccati. Verumtamen ex his volitionibus quaedam ex suo genere, scilicet ratione sui obiecti, consummantur interius, et non indigent ad sui complementum externo opere, ut haeresis et odium Dei. Aliae vero volitiones quae ex suo genere et obiecto non consummantur nisi in sermone, ut voluntas mentiendi et blasphemandi; aliae quae non consummantur nisi in opere, ut voluntas occidendi.

De huiusmodi peccatis sit 1<sup>a</sup> CONCLUSIO *specie differre*. Ita D. Thomas, 3 p., q.90, a.3 ad 1<sup>218</sup>. Et ratio est quia semper huiusmodi obiecta habent diversam honestatem aut turpitudinem; sunt enim diversae regulae rationis ad gubernandam per se solam mentem, et diversae ad gubernandam linguam et diversae etiam ad opus dirigendum et diversis modis deflectimus a ratione recta circa illas. Diversas species dico morales, nam physice esse poterunt eiusdem speciei ut si quis, ex eodem motivo v.gr. odii Dei, velit loqui blasphemias et trucidare christianos, volitiones erunt eiusdem speciei physicae, ut supra, a.1. Loquor praeterea de distinctione speciei completae, non vero incompletae, de qua in conclusione sequenti.

2<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Aliquando volitio cogitandi solum, et volitio loquendi sine ulteriori opere, et volitio operandi, sunt peccata distincta specie incompleta*. Tunc scilicet quando ex ratione obiecti cogitatio ordinatur ad locutionem, et locutio ordinatur ad opus, quamvis ex intentione peccantis quaedam volitio limitetur ne prodeat in verba nec in opera, et alia volitio limitetur ne prodeat in opera sed tantum in verba, alia vero sine limitatione feratur in

---

<sup>218</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.90, a.3 ad 1: ed. leon. 12, 337.

verba et in opera. Et de huiusmodi peccatis loquitur D. Thomas hic, corpore, ut colligitur ex solutione 3<sup>ii</sup> argumenti, et docet D. Antoninus, 3 p., tit.17, c.17, § 6<sup>219</sup>; et Viguerius, c.18, De lege peccati, vers.1, n<sup>o</sup> 2,3,4<sup>220</sup>, (quidquid dicat Caietanus hic<sup>221</sup>), qui tamen bene explicat exemplum D. Thomae. Vide illum. Et potest illud exemplum sic afferri: complacentiam vindictae nihil decernens circa locutionem aut executionem vindictae erit peccatum cordis; decretum loquendi de vindicta erit peccatum oris, et volitio occidendi erit peccatum operis. Et haec differunt specie incompleta. Specie quidem quia tendunt contra diversas rationes honestatis quamvis partiales et ideo explicandae sunt in confessione; si enim non tantum complacentiam homicidii habuisses sed etiam decretum occidendi, non sufficeret confiteri complacentiam homicidii sed opus esset explicare decretum efficax. [f.178] At vero non differunt specie completa sed incompleta, quia eiusmodi turpitudines sunt quasi partes pertinentes ad unam integrum rationem vindictae, et ex obiecto suo ad illam ordinantur quamvis illam non contineant perfecte singulae species.

CONFIRMATUR, quia licet eiusmodi volitionibus non possit conflari una numero volitio et peccatum physice unum, nihilo minus si praescindimus a differentiis numericis illarum volitionum turpitudines illarum inveniemus unam esse quasi fundamentum et initium alterius, scilicet complacentiam vindictae, et alias esse quasi perfectionem et complementum huius, scilicet decretum loquendi et exsequendi, cuius inditium est quod decretum exsequendi continet totam malitiam illius complacentiae et praeterea et praeterea aliquid addit malitiae; et nihilominus non propterea habet duplum speciem malitiae sed unicum.

Verum Caietanus hic contendit non esse inter haec peccata propriam rationem distinctionis specificae incompletæ, sed potius quandam similitudinem illius. Et PROBAT exemplis D. Thomae

<sup>219</sup> ANTONINUS, *Summa*, 3 p., c.17, § 6: Lyon, 1530, t.3, f.159v.

<sup>220</sup> J. VIGUERIUS, OP, *Institutiones ad Christianam Theologiam...*, De lege peccati, c.18, vers.1: Amberes 1565, f.232v.

<sup>221</sup> THOMAS A VIO, OP, *Expositio in primam secundae...* q.72, a.7: ed. leon. Operum Sti Thomae, 7, 20s.

adductis in corpore; etenim non reperitur inter haec peccata distinctio particularium formarum heterogenearum, sicut iacere fundamentum et erigere parietem sunt actiones heterogeneae partiales; nec est hic aliqua forma quae sit via ad aliam, sicut forma embrionis est via ad formam animalis, sed tantummodo forma intenti finis proprii diversimode in corde et in ore et in opere se habens sola distinctione materiae. CONFIRMATUR, quia omnium horum peccatorum unicum est motivum; ergo una species.

RESPONDEO exempla a D. Thoma allata non esse omnino similia, ut notat ibi Conradus<sup>222</sup>, sed in hoc solum convenient quod quaedam peccata imperfecte retinent malitiam aliorum. Ad confirmationem RESPONDEO probare specie physica convenire eiusmodi volitiones, et physice non distingui nisi materialiter; verumtamen moraliter, in ratione propria peccatorum vere sunt diversae species, quia diversas quasi partes virtutis excludunt, secundum dicta supra, a.1, conclusione 2.

3<sup>a</sup> CONCLUSIO: *Si accipiatur peccatum cordis pro voluntate loquendi et operandi, et peccatum oris pro ipsa locutione volita, et peccatum operis pro exteriori opere volito et imperato a voluntate, sic divisio non est generis in species sed analogi in analogata, quia quaelibet actio alterius potentiae a voluntate, sicut non est ab intrinseco libera nec imputabilis, ita non est formaliter in se peccatum sed denominatione extrinseca a volitione mala. Vel potius divisio sic accipienda erit ut peccatum [f.178v] oris et operis sint quaedam partes quasi integrales peccati, ut recte D. Thomas, 3 p., q.90, a.3 ad 1<sup>223</sup>. Sicut enim homo praeter animam et materiam simpliciter requisitam ad rationem hominis habet manus et pedes pertinentes ad eius complementum, sic etiam operatio exterior pertinet ad complementum peccati; et hinc constat quomodo peccatum cordis et operis sint duo peccata vel unum, et quomodo opus addat malitiam supra volitionem.*

<sup>222</sup> C. KOELLIN, OP, *Expositio commentaria prima...in primam secundae angelici doctoris S. Thome Aquinatis*, 1.2., q.72, a.7, § Nota tamen: Venecia 1589, p.525a-b.

<sup>223</sup> THOMAS AQ., *Summa Theologiae*, 3, q.90, a.3 ad 1: ed. leon. 12, 337.

## Articulus 8

### Utrum superabundantia et defectus diversificant species peccatorum

Alterius disputationis est utrum cuilibet virtuti opponantur vitia per abundantiam et defectum; nunc solummodo quaeritur, quando contigerit ita opponi duo vitia uni virtuti, utrum vitia sint specie diversa, veluti prodigalitas et avaritia.

Pro parte negativa ARGUITUR 1<sup>o</sup>, quia privat eadem honestate. 2<sup>o</sup>, quia non est diversa species falsitatis dicere plus aut minus quam in re est; ergo non est diversa species malitiae velle plus aut minus quam ratio dictat. 3<sup>o</sup>, quia diversae species peccatorum, praesertim oppositae non possunt in unam speciem convenire, sed contingit idem peccatum esse prodigalitatis et avaritiae, ut volitio substrahendi pecunias familiae necessarias ut suppetant ludo. 4<sup>o</sup>, quia magis et minus non variant speciem.

**1<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Superabundantia et defectus constituunt peccata specie diversa.* Ita D. Thomas, Caietanus et Conradus hic.

PROBAT D. Thomas, 1<sup>o</sup>, quia contrarietas est differentia secundum formam, ac proinde specifica, ex Aristotele, 10 Metaphysicorum, tex.13 et 14<sup>224</sup>; sed huiusmodi vitia sunt contraria; ergo sunt diversae speciei.

PROBAT 2<sup>o</sup>, vitia distinguuntur per motiva; sed eiusmodi vitia semper habent diversa motiva, nam intemperatus movetur ex nimio amore delectationis corporeae, at vero insensibilis ex odio illius.

Circa haec advertit Caietanus, a D. Thoma, nomine motivi intelligi finem seu obiectum, non vero actum aliquem existentem in voluntate nisi quatenus hic actus [f.179] continet quasi primario et in radice tendentiam in tale obiectum formale; et hac ratione amorem et odium delectationum posuit D. Thomas ut motiva

<sup>224</sup> ARISTOTELES, *Metaphysica*, 1.10: Aristoteles latinus 25/2, (Leiden 1976) p.189–192.

specificantia, ut inde colligeret obiecta formalia huius amoris et odii esse etiam obiecta formalia intemperantiae et insensibilitatis, atque adeo constituere diversas species peccatorum.

**2<sup>a</sup> CONCLUSIO:** *Saepe non distinguentur specie physica peccata quae sunt secundum superabundantiam et defectum.* PROBATUR, quia habebunt aliquando eundem finem ultimum cum indebita appretiatione; nam volitio retinendi alienum ad ostendandum apparatus domus et volitio exhibendi convivia superflua propter eundem finem sunt eiusdem speciei physicae, et tamen una volitio est avaritiae alia vero prodigalitatis. Quare, conclusio D. Thomae intelligenda est de specie morali.

Sed DICES: quomodo in his volitionibus inveniet D. Thomas diversa motiva cum habeant eundem finem? RESPONDEO, nomine motivi intelligi a D. Thoma quandoque obiectum etiam materiale quod scilicet volitum sit et non sit omnino praeter intentionem, ut illius verba ostendunt; atqui in his volitionibus sunt diversa obiecta diversa materialia, nam in prima volitione obiectum materiale indirecte saltem volito est retentio pecuniae excedens limites rationis rectae, et in secunda volitione obiectum materiale saltem indirecte volitum est effusio pecuniae ultra limites rationis. Haec autem obiecta propter diversas rationes et modos quibus pugnant cum ratione recta tribuunt diversas species morales.

Ad 1<sup>um</sup> argumentum DIXI satis in a.1 post conclusionem 2 argumenti 3, scilicet prodigalitatem et avaritiam privare diversis partibus honestatis liberalitatis, et nihilominus peccata eadem non esse partialia.

Ad 2<sup>um</sup> RESPONDEO 1<sup>a</sup>: si loquamur de specie physica erroris intellectus, optime servatur proportio illius cum specie physica volitionis; sicut enim species physica erroris sumitur a ratione et determinativo cum indebita firmitate et adhaesione intellectus et iudicare plus aut minus praecesse ex se non affert diversitatem specificam physicam; sic etiam species physica malae volitionis sumitur a fine cum appretiatione indebita, et hanc speciem non variat abun[f.179v]dantia et defectus, ut dictum est conclusione 2. At vero illud peculiare est volitionis quod in illa, retione sui reperiuntur variae species morales, hae autem non reperiuntur in

actibus intellectus nisi in quantum imperantur a voluntate. Et ideo iudicare aut dicere plus aut minus quam res habet, non sunt diversae species morales nisi quatenus proficiscuntur specie morali distinctis vel qui ex inordinato amore propriae excellentiae exagerare proprias laudes et ex invidia extenuare alienas virtutes, et sic intelligendus est D. Thomas ad 2.

Ad 3<sup>um</sup> RESPONDEO non esse inconveniens duas species morales reperiri in eodem numero actu, ut saepe alias dixi. Et insuper avritia et prodigalitas licet opponantur quoad eandem numero actionem exteriorem vel partem actionis, non tamen quoad diversa, scilicet licet non possis in retinendo simul esse prodigus et avarus, potes tamen eadem volitione esse prodigus et liberalis respectu retentionis et effusionis quae volitae sunt eadem volitione, ut in casu dicto. Vide D. Thomam ad 3.

Ad 4<sup>um</sup> RESPONDET D. Thomas ad 1<sup>um</sup>: licet magis et minus non varient speciem ex eo praecisse quod sint magis et minus, potest tamen hanc diversitatem comitari distinctio specifica alia ratione perfecta.

Quaeri solet in praesenti *qua de causa vitia quae receduntur a virtute viis extremis sint diversa, et tamen virtus quae ab illis extremis recedit sit tantum una*. RESPONDERI solet rationem esse quia humani actus speciem sumunt non a terminis a quibus recidunt sed ad quos accedunt, scilicet a fine; at vero a duobus extremis oppositis acceditur ad idem medium rationis. Praecipua tamen ratio est quia, ut dixi a.1 post conclusionem 2, in 3<sup>a</sup> argumento<sup>225</sup>, virtus exigit plura ad sui rationem quia bonum ex integra causa, malum autem ex cuiusque partis defectu, ideoque virtus exigit, ut teneat rectum tramitem rationis, ab utroque extremo declinare.

---

<sup>225</sup> Véase p.207.

**Articulus 9<sup>as</sup>**  
**Utrum peccata diversificantur specie**  
**secundum diversas circumstantias**

Multa possent disputari in praesenti, et praesertim quod Caietanus tractat, utrum necessarium esse volitam directe circumstantiam ut variet speciem peccati. [f.180] Sed de hoc dictum est late supra, q.18, a.10, dubio 5 et dubio 2. Ubi probatum est omnem circumstantiam actus humani debere esse cognitam et volitam, alioqui non poterit imputari in bonum nec in malum, et volitio inde nullam malitiam aut bonitatem intrinsecam contrahet sed sola denominatione extrinseca. Verumtamen satis est circumstantiam volitam esse indirecte, ut infra dicetur.

CONCLUSIO sit *peccata distingui specie plerumque ex circumstantiis*. Ita docet Tridentinus, sess. 14, cap.5 et canone 7<sup>226</sup>; et communiter scholastici, 4, d.16, ubi definitur explicandas esse circumstantias quae speciem mutant.

Et ratione PROBATUR, quia circumstantiae habent pro obiecto quandoque diversam speciem turpitudinis et excludunt honestatem diversae speciei et sunt contra diversum praeceptum; ergo constituunt diversam speciem peccati. Consequentia PROBATUR ex dictis in a.1.

Quod si OBIICIAS: accidens non mutat speciem rei; sed circumstantia est accidentis; ergo non mutat speciem peccati. RESPONDEO circumstantia non constitui nec distingui eam speciem peccati respectu cuius est circumstantia, sed aliam speciem eiusdem actus respectu cuius non est circumstantia sed essentia ipsa, ut cum occidis in ecclesia circumstantia loci quae accidens est respectu homicidii consideratur in universalis abstrahendo a loco, eadem est essentia constituens speciem sacrilegii, de quo late dixi q.18, a.10, dubio 3 et 4 et late disputat D. Thomas, q.2 De malo. a.6<sup>227</sup>.

<sup>226</sup> DS 1681 y 1707.

<sup>227</sup> THOMAS AQ., *Quaestiones disputatae de malo*, q.2, a.6: ed. leon. 23, 44–50

Sed explicare opportet quae circumstantia speciem peccati mutare possit, nam D. Thomas hic notat circumstantias non mutare species nisi quando proveniunt a diversis motivis. Quapropter Caietanus existimat D. Thomam hic mutasse sententiam quam docuerat 4, d.16<sup>228</sup>, scilicet circumstantiam mutare speciem etiamsi non sit finis. Sed eadem ratione dicere debuissest Caietanus mutatam fuisse sententiam quam docuit 1<sup>o</sup> 2<sup>o</sup>, q.18, a.10, scilicet omnem circumstantiam quae est obiectum actus, scilicet volita per actum et habet peculiarem rationem conformitatis aut deformitatis cum ratione recta mutare speciem, quod etiam docent non solum discipuli D. Thomae ibi sed communiter Doctores 4, d.16, ubi Ricardus, a.2<sup>229</sup>; Durandus, q.3<sup>230</sup>; Carthusianus post q.2, § Rursus hic quaeritur<sup>231</sup>.

Ideo, ut D. Thomas sibi, aliis Doctoribus et veritati consentiat, dupli distinctione opus est altera circa motivum, altera vero circa speciem actus.

Igitur DICENDUM est 1<sup>o</sup>: *Si nomen motivi sumitur stricte pro fine ultimo et obiecto formali actus, sic sola circumstantia [f.180v] quae habet diversum motivum mutat speciem physicam actus supposita tali appretiatione saepe a me explicata.*

2<sup>o</sup>: *Haec diversitas finis ultimi non requiritur ad variandam speciem moralem peccati, quia aliae circumstantiae praeter finem afferunt peculiarem deformitatem.* CONFIRMATUR, quia si quis, ex solo fine avaritiae occidat in ecclesia ut furetur, ille actus non solum habet speciem furti et avaritiae ex fine, sed etiam habet speciem moralem homicidii et sacrilegii.

3<sup>o</sup>, quod ex iis sequitur, *si D. Thomas loquitur de specie morali peccati varianda, intelligere debet nomine motivi*

<sup>228</sup> THOMAS AQ., *Commentum in quartum librum Sententiarum*, d.16, a.2, quaestiu[n]cula 5, sol.3: ed. Vivès, 10, 455s.

<sup>229</sup> RICARDUS DE MEDIAVILLA, *Super quatuor libros Sententiarum*, 4, d.16, a.2, q.1: Brujas 1591, 4, 230.

<sup>230</sup> DURANDUS A SANCTO PORTIANO, *In Senentias Theologicas Petri Lombardi...*, 4, d.16, q.3: Amberes 1566, fol.337b.

<sup>231</sup> Véase nota 5.

*quocumque obiectum volitum sive directe sive indirecte*, ut explicat nomen motivi Alexander, 2 p., q.105, mem.3, a.3<sup>232</sup>, et ipse D. Thomas hic satis innuit, et clarus in praecedenti articulo. Sicque sola circumstantia quae est obiectum et habet peculiarem rationem deformitatis a ratione variat speciem peccati, de quo latius dixi q.18, a.10.

Hinc sequitur solutio illius difficultatis, *utrum differant specie illa peccata in quibus idem obiectum malum volitum est verumtamen in uno peccato volitum est directe, in alio autem indirecte*. Etenim absolute et in rigore dicendum est non variari speciem moralem (quamvis saepe varietur species physica). Et ratio est quia sive sit volitum directe sive indirecte, non est diversa deformitas obiecti volita et imputabilis in uno actu quae non imputetur in alio. CONFIRMATUR, nam propterea sive omittas sacram directe volens omittere ut ludas, sive indirecte quia vis ire in agrum sciens inde impediendum esse sacram, et nihil curans nec decernens expresse circa sacram, nihilominus peccatum erit eiusdem speciei. Confirmabitur hoc magis ubi de ignorantia, q.76, a.2, dubio 2.

Sed DICES: Si quis committat furtum intendens directe et expresse offendere Deum et discedere ab eius praeceptis erit peccatum diversae speciei quam si hoc intenderet indirecte ut intendunt omnes qui furantur; ergo directe aut indirecte volitam esse malitiam variat speciem peccati. RESPONDEO in tali peccato non esse diversam speciem ex eo praecesse quia expresse intendat offendere Deum et discedere ab eius obedientia, sed quia hoc intendit expresse eo fine ut vindictam sumat vel ut se gerat quasi non subiectum Deo vel propter similem finem; et hi fines non sunt voliti in omni furto nisi per quasdam illationes remotissimas et impropias; illi autem fines habent peculiarem turpitudinem.

Quod si PETAS quid si aliquis velit expresse et directe offendere Deum et non propter similes fines, RESPONDEO hoc non esse possibile, nam ad volendam directe offensam Dei opus est

<sup>232</sup> ALEXANDER HALENSIS, *Summa Theologiae*, 2, q.105, mem.3, a.3: Lyon 1516, fol. 215b.

voluntatem amare aliquam rationem boni repertam et fundatam in ipsa ratione offensae Dei; verumtamen dato illud esse possibile, ex eo quod directe volita esset offensa Dei, non esset distinctio specifica ab aliis peccatis nisi aliunde proveniret.

(Sigue el comentario a la q.73)